


23  
A









19.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
H A E R E S I

IN G E N E R E

Q V A M

D E O A V S P I C E

S U B P R A E S I D I O

I O A C H I M I H I L D E B R A N D I

S. THEOL. D. EIVSDEMQUE

ORDIN. PROF.



I N I N C L Y T A I V L I A

*Examini publico proponit*

A N D R E A S *Winter*  
S E E S E N S I S.

In Auditorio Majori

D. Iunij.

 (o) 

HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI,

C I O I O C L V I I .



DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE

HABERESII

INGENERE

Q. N. M.

DEO VESTICE

SUB PRESIDIO

IOACHIMI HILDEBRANDI

S. THEOL. D. P. V. S. D. M. O. V. E.

ORDIN. P. R. O. F.

IN INCUNTA IVLIA

Examin. publico proponit

A. N. D. R. E. A. S. S. I. M. O.

SESSENSIS

In Auditorio Majori

Q. N. M.

(1733)

HELVETIORUM

Typis Henrici Mülleri

CIVIS ET LIBER







DISPUTATIO  
DE  
HÆRESI.



Omenti plurimum in cognoscenda Hæresi positum constat, quod Hæresis sit *error in Fundamento Fidei*. Quisquis igitur naturam Hæreseos habuerit perspectam, eo ipso etiam dogmata fundamenti cognoscet & à doctrinis *annatis*, quarum in Scholis seges uberrima est, facile discernet, cum oppositorum eadem sit scientia. Neque verò hodie alia magis quaestio expediri digna nonnullis videtur, quam quid sit fundamenti? quis fundamentalium numerus? unde in SS. determinatio fundamentalium præcisè petenda? &c. Sicut enim in extruenda *Domo* architecti cura primaria est, ut fundamentum sit solidum; nisi enim hoc fideliter quis jecerit, quicquid superstruxerit, corruet: ita in *Dei Domo*, quæ est Ecclesia, nisi fundamentum sit benè cognitum, frustra erunt cætera omnia. Sed dum ostendemus, quis sit error in fundamento, de ipso quoque fundamento vi oppositionis constabit.

II. Alter hujus Doctrinæ usus ex *formali* Hæreseos effectu, qui est *exclusio ab aeterna salute*, est evidens. Tantum verò hoc malum est, in quod Hæresis hominem quemcunque recta præcipitem agit, ut nec lingua id exprimi, nec mente, prout par est, concipi possit. Quod enim majus sit malum, quam à Dei facie in ignem illum *ἀσβεστῶν* projici, pro-



ci, propter quem evitandum, tam anxie rogat Psalter: *E-*  
*ne projicias me a facie tua.* Psalm. LI, 13. Ad hoc extre-  
mum malum præcavendum necesse est, ut Hæreses singu-  
las æquè ac omnes cane pejus & angue fugias. Sed quomo-  
do fugies, nisi præcognitas saltem in genere? Sicut in Arte  
*Medica* *ιατροφίλοι* partem utilis censent, quæ agit de *venenis*,  
non ut (quod venefici solent) alijs ea propinent, sed à ve-  
neficis porrecta salubriter propulsent: ita in hac *sancta Di-*  
*sciplina* Theologi de *Hæresi* agunt, non ut modum for-  
mandæ hæreseos doceant, vel alios in hæresin inducant,  
sed ut rationem vitandi hæreses ab ingenijs maleferiatis  
excitatas salutariter comonstrent: Deniq; nemo nescit, in  
*veteratum vitium* impingendi hæreses etiam innocentibus ob-  
levissima sæpe opinionum *ἀδιαφόρων* divortia, litigioso hoc  
seculo nostro ita invaluisse, ut orto vel minimo dissensu a-  
ctutum *concordia* omnis & fraterna charitas, tam sanctè  
nobis à Domino in ultimis tabulis suæ voluntatis commen-  
data scindatur & *inmutua vulnera fratres* acerbè coeant,  
quod profecto non fieret, si de natura Hæreseos inter par-  
tes dissidentes constaret.

III. E *Nostris* si qui sunt, opido pauci erunt, à qui-  
bus hæc materia ex professo fuerit elucidata. Apud *Ponti-*  
*ficios* forsan plures reperies, qui præsentem doctrinam ven-  
tilarunt, sed hi fere omnes in excessu peccant, dum du-  
ctum Concilij *Tridentini* sequuntur & anathemata in quos-  
vis sive rectè sive perperam, sive in fundamento sive circa  
fundamentum dissentientes temerè (ne quid amplius di-  
camus) evibrant, quæ anathemata quamvis pleraque  
sint *bruta fulmina & fulgura ex pelvi* donec tamen vali-  
da ab adversa parte censentur, concordiam ecclesia-  
sticam satis validè rumpunt. Quicquid de eo sit, vide-  
mus ex hac feriendi anathemata libidine, quod in de-  
nienda



nicnda Hæresi Scriptoribus pontificijs fidendum non sit; uti nec inter Calvinianos *Remonstrantibus*, vel Arminianis propterea quod quemadmodum illi in excessu, hi in defectu peccent & apertis, imò ab universa, quæ sub cælo est, Ecclesia dudum damnatis hæresibus dicam scribere verentur. *Casista* quidem vel Doctores Casuum Conscientiæ in Summulis, quas condiderunt, de Hæreticis æquè copiosè agunt, sed nec hi satisfaciunt, cum juxta ipsos Hæresis definiatur *pertinax dissensus à communi doctrina Ecclesie* (Romanæ) quasi verò nuda Ecclesie definitio, tacentibus SS. literis faciat, ut hominem aliquod dogma cælo excludat?

IV. Ex Veteri Ecclesia catalogos hæreticorum, sed plerosque laxiores habemus, ut proinde ex his, quæ proprie Hæresis vocetur, non constet. Ipse *S. Augustinus*, Patrum augustissimus, quo vix alius veterum in tractandis controversiis ingeniosior, magnam in re præsentis difficultatem agnovit. Ita enim ad suum *Quodvultdeum* in Proœmio præfatur: *Quid faciat hæreticum regulari quadam definitione, sicut ego existimo, comprehendi aut omnino non potest aut difficilimè potest, quod in processu hujus operis declarabitur.* Post hæc cum libellum fuerat bipartitus, subjungit: *Prior pars erit de Hæresibus, quæ post Christi adventum atque ascensionem adversus doctrinam ipsius extiterunt. Posteriori parte, quid faciat hæreticum, disputabitur.* Repetit quidem promissum incalce libelli: *Quid (ait) faciat hæreticum, deinceps requirendum est.* Sed huic promisso Virum Sanctum sive rei difficultate permotum, sive libellum injuria temporum periisse dixeris, steterisse in vastis ejus tomis nullibi invenitur. Syllabum hæreseon ita concludit: *Rogo Vos, qui hac legitis, ut ad id, quod restat implendum (de constitutivis hæreseos) quod TAM MAGNUM esse cernitis, me orationibus vestris adjuvetis.* Ecce



quam trepidat Maximus Patrum, cum ad definiendum hæreticum in procinctu est. Hæc ideo dicta volumus, ut sibi nec aliis in re tam difficili ubique luceat, condonetur. Certè *Philastrius* Episcopus Brixienſis clarus A. C. CCC LXXX, qui jam ante S. Augustinum & inter Latinos omnium *primus* libellum enumeratis hæresibus implevit, inter hæreses assertionem physicam, quæ *terramotum* ut rem naturalem ad vim motricem elementorum reducit c. LII, & hanc, quæ in cælo *stellas fixas* statuit, & plura talia recenset. Sed hodie nemo tam hebes est, quin sciat hæc placita philosophica hæreses non esse. Nec malè de eo judicat Bellarminus, quod *multa inter hæreses numeraverit, quæ verè hæreses non sunt*, & quod ideo *cum prudentia* legendus sit. In lib. de Script. Eccl. Quin & *parum consideratè locutum in catalogo hæreticorum* fatetur l. IV. de amiss. grat. c. XI. Ita ergo nec veterum Hæresiologia à S. Irenæo, Epiphaniò, Theodoro; Philastrio, Augustino, Hieronymo, licet à sanctis & doctis viris condita pro norma vel Regula hæreseon haberi possunt vel debent.

V. Apud scriptores profanos Hæresis dicitur quævis *opinio ex aliis selecta* sive bona sive mala, sive vera sive falsa vel *secta*, quam quis cæteris meliorem æstimat. S. Hieronymus: *Hæresis* (ait) *gracè dicitur ab electione, quod scilicet eam unusquisque sibi eligat disciplinam; quam putat esse meliorem.* In. cap. v. ad Gal. Cicero in Paradoxis Catonem in ea hæresi fuisse scribit, *quæ nullum sequitur orationis florem.* Quin & inter ethnicos numerari tot hæreses solebant, quot philosophorū sectæ vel quàm diversæ Sapientum familiæ erant. Ita qui Platonis dogmata sequebantur, in *hæresi Academicorum*; qui Aristotelici erant, in *hæresi Peripateticorum*; Qui Zenonis placita comprobabant, in *hæresi Stoicorum*; Qui verò ex omnibus sectis quod optimum videbatur seligebant, in

*Electo-*



*Electorum hæresi* agere dicebantur; & sic nemo philosophorum erat, quin *αἱρετικός* esset vel in hæresi quadam viveret vel ipse esset *αἱρεσιάρχης*, quales cum primis nominandi *Plato, Aristoteles, Zeno &c.* Sed de hæresibus istis Philosophorum, *Diogenes Laertius* legatur. Apud Aristotelem quæ sint problemata *περὶ αἱρέσεων* vel *αἱρετικῶν* l. i. Top. c. ix. videre est. Apud *Galenum* hæresis *Empirica*; It. *Methodica hæresis* memorantur. Verùm hæc acceptiones à nostro nunc instituto sunt alienæ.

VI. Ad S. Scripturam progressi velut ad primariam Fidei salvificæ, adeoque etiam hæreseon cognoscendarum Regulam, initio animadvertimus vocabulum istud *indifferenter*, in bonam malamque partem accipi. In laudem *Pharisaicæ* sectæ Apostolus eam *αἱρέσιν ἀπεβεβήτων* comparatè ad reliquas *Essæorum & Sadducæorum* sectas appellat. Quid? ipsa *Fides Christiana Nazaræorum hæresis* ejusque *πρωτοτύπη* Paulus dicitur Act. xxiv, 5. Quin & in Urbe Roma Judæi *evangelium de Christo* audituri, rogant à Paulo hanc hæresin sibi exponi. Act. xxix, 22. In malam partem sumitur Gal. v, 20. ubi in catalogo *operum carnis αἱρέσεις* connumerantur; Quin & Tit. iii, 10. Apostolus semel atque iterum *hominem hæreticum commonere* jubet, quæ admonitiones si sint frustra, vult eundem tanquam hominem desperatum vitari, propterea quod sit *ἀντοκατακρίτος* suo iudicio condemnatus. Quin & in Ecclesia Corinthi *disidia circa S. Eucharistiam* oborta hæreses vocantur, quas oportuit fieri, ut qui probati essent, fierent manifesti I Cor. xi, 19. Denique II Pet. ii, 1. Apostolus multos in Ecclesia *ψευδοδιδασκάλους* fore prænunciat, qui *τὰς τῆς ἀπωλείας αἱρέσεις* inducturi sint & ipsum Redemptorem suum abnegaturi. Hæc ferè sunt, quæ de Hæresi Sacer codex pronunciat, pleraque ita comparata, ut ad Schismata quoque & ad Schismaticos accommodari possint.

VII. Cer-



VII. Certum verò & in Orbe Christiano ferè nusquam non conceditur, quod omnis hæresis sit **ERROR**, & talis quidem, cujus formalis effectus est *exclusio à salute*: neque enim *omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit*, dicente S. Augustino in Præf. ad Quodvultdeum. Et rectè in prolegomenis ejusdem libelli Lambertus Daneus: *Error est genus hæreseos: neque enim hæresis est ea sententia, in qua minimè erratur, etsi errari à nobis homines dicunt.* Verissimum est illud S. Augustini: *Errare potero, hæreticus tamen non ero.* Dein Hæresis, oportet, ut sit illius error, qui Christianus haberi vel Ecclesiæ Christianæ membrum censeretur affectat. In eo enim inter alia hæreticus ab infideli, v. g. ab Ethnico, Iudæo, Turca differt. *Iudæi hodie atque Turca* quamvis aliquos fidei articulos & dogmata ad salutem necessaria, nempe Unitatem Dei, Creationem mundi, Resurrectionem mortuorum &c. admittant, pleraq; verò mysteria v. g. Trinitatis atque Incarnationis negent, hæretici tamen non sunt, sed infideles, quia tantum abest, ut inter Christianos computari velint, ut potius Religionis Christianæ notorii & professi sint hostes.

IX. Quod ad **MATERIAM** Hæreseos attinet, usitatè Hæresis dicitur error in *Fide* h. e. in fidei doctrina; vel in *necessarijs* ad salutem. Fides autem bifariam sumitur, semel *strictè pro solis credendis* & sic Doctrina de Sacramentis & Moribus non est pars fidei nec in ijs hæreses dantur; Esto igitur hæc Hæresis *prima nota*. Dein extenditur sæpe vox Fidei ad *Dogmata totius Religionis Christianæ* sive sint credenda sive agenda, quotquot in SS. Literis præsertim N. T. *clarè & perspicuè* sunt tradita, & h. m. Doctrinam fundamenti statuunt *Catechismum*, Hæreses quoque sub eâ ratione non tantum in Fidei nostræ *σύμβολον*, sed & contra Decalo-



Decalogum, Orationem Sacramenta, & si quod aliud dogma in Scripturis Canonicis expressum est, impingere dici possunt. Has ergo Hæreses *secunda nota* appellabimus. Iuxta alios Hæresis adspicitur ut *error in necessarijs* ad salutem, cujus tamen necessitatis varij sunt gradus: constat enim, quod major sit necessitas articulorum, quam Sacramentorum. Alia igitur Hæresis evertit, quæ *absolutè & simpliciter* sunt necessaria ad salutem vel sine quibus cognitis & creditis nemo adultorum salvatur; & hæc iterum Hæresis *prima nota* dici poterat. Alia est Hæresis directè opposita dogmati ordinariè quidem ad salutem consequendam necessario, at *non in tanto gradu*, quin Deus aliquando in certis casibus *veniam erroris vel nescientiæ* (ut in Scholis loquuntur) admittat, quæ posterior opinio à priori in eo differt, quod hæc inter hæreses primæ notæ non solum errores contra symbolum vel theoreticos, sed etiam practicos connumeret: neque enim articuli tantum Fidei in *Symbolo*, sed & *Decalogus & Oratio* videntur simpliciter salvando necessaria, Fides necessitate *medij*, Decalogus necessitate *præcepti*. Sed prior sententia errores *practicos* in ijs necessaria ad hæreses secundæ notæ trahit. Iuxta utramvis partitionem vox Hæreseos ad illos quoque errores, qui cum dogmatibus in Symbolo Apostolico non pugnant, extenditur.

#### HERESSES PRIMÆ NOTÆ.

IX. H. 1. Hæresis ut *error in Fide* considerabitur, quo sensu Hæresis *prima nota* est *error in purè ac simpliciter credendis*. Horum elegans compendium est SYMBOLUM APOSTOLORUM, cujus articulos pro summè necessarijs, & in constitutivis Fidei vel in credendis sufficere Ecclesia semper arbitrata est, quod nube testium veterū ac recentū ostendi poterat, nisi hoc jam dudum insigniter præstitisset

B

Beatus





Beatus noster D. D. *Calixtus* in priori maledicis Theolo-  
gis Moguntinis opposito Responso, ubi Sufficientiam Sym-  
boli in his, quæ fidem constituunt, ex primæ, mediæ atque  
infimæ ætatis scriptoribus usque ad tempora Reformati-  
onis luculentè ostendit. Tertulliano dicitur *Regula Fidei*.  
At quomodo regula, nisi adæquata? *Hæc regula*, inquit,  
*nullas apud nos habet quæstiones, nisi quas Hæreses inferunt &*  
*quæ hæreticos faciunt.* Et paulò post: NIHIL ULTRASCI-  
RE EST OMNIA SCIRE (sc. necessaria creditu) Lib. de  
Præscript. c. 13. S. Cyrillus Hierosolym. *in paucis Symboli*  
*hujus versibus universam FIDEI doctrinam comprehendit adse-*  
*rit.* Catech. Illumin. V. Leo M. *Symbolum Catholicum ap-*  
*pellat, cujus solius gladio omnes hæreticorum opiniones destrui*  
*possint.* In epist. Pulcheriam. Isidorus Hispalensis in *Symbo-*  
*lo Trinitatis* (ita prisci communiter Symbolum Apostoli-  
cum vocarunt, quod in illo mysterium SS. Trinitatis fun-  
detur) *omne Christiani dogmatis sacramentum contineri scri-*  
*bit.* Lib. VI. Orig. c. xix. Imò dum vetus Ecclesia *Cate-*  
*chumenos*, quoad credenda, non nisi Symbolum edocuit eo-  
que admisso Sacramentum Fidei h. Baptismum ipsdem con-  
tulit, postea pro Christianis, æternæque salutis capaci-  
bus agnovit, publicè sufficientiam Symboli in constitui-  
vis vel articulis fidei contestata est.

X. Neque vero putandum est hac sententia hodie-  
nos *Photinianos* aliosve hæreticos, qui *quoquo modo* vel quo-  
vis sensu exposita verba Symboli acceptant & sub hoc præ-  
textu capitales sæpe errores abscondunt ab hæresi absol-  
vi. Minimè! Apud hos enim non est Symboli Aposto-  
lici acceptio, sed prava detorsio. Nos cum in Symbolo  
constitutiva fidei, absolutè ad obtinendam salutem ne-  
cessaria contineri diximus, Symbolum *vero ac nativo suo*  
*sensu*, quem *virtus dictorum* postulat, intellectum volumus.  
Sicut



Sicut enim sufficientia *S. Scriptura* non tollitur per id, quod hæretici quoque in ea malæ causæ præsidium ponant, cum verum *Scripturae* sensum pervertant. Par ratio est de Symbolo. Verus autem & nativus Symboli sensus est, juxta quem Orbis Christianus SEMPER ET VBIQUE præfertim in Oecumenicis Concilijs, per *antiqua Symbola, Nicænum* cum appendice Constantinopolitana & *Athanasianum* (etsi hujus antiquitas tanta non sit, ut ab ipso *S. Athanasio*, malleo illo Arianorum collectum dici possit, cum primam ejus mentionem *A. C. c. c. xxxix.* factam eruditè *Vossius* de tribus Symbolis differt. II. statim in initio ostendat) per *Anathematismos Ephesinos*, per *Confessionem Chalcedonensem*, per *Capitula Milevitana & Arausicana* contra Arianos, Macedonianos, Nestorianos, Eutychianos, Pelagianos ac Semipelagianos idem illud declaravit.

XI. Quibus fundamenti loco positis hæc dogmata erunt omnibus adultis cognitu ac creditu necessaria (i) quod *Deus in tempore* cælum & terram, & id omne, quod hujus universi ambitu continetur, *creaverit*, & quod sine ipso factum sit nihil eorum, quæ facta sunt. (ii) Quod Deo sit *Filius* & is æquè *Deus*. (iii) Quod *Spiritus S.* sit cum Patre Filioque *Deus* (iv) Quod *alius* à Patre sit Filius, & *alius* ab utroque *Spiritus S.* (v) Quod Filius Dei *propter nos* homines & propter nostram salutem descenderit è cælis, & *manens quod erat* HOMO FACTUS SIT. (vi) Quod Filius Dei de *B. Virgine* ex superventu *Sp. S. sine omni peccato conceptus natusque* sit. (vii) articuli fidei sunt *Christi Passio, crucifixio, mors, sepultura, resurrectio, ascensio in calos, reditus ad Judicium*, quia hæc omnia in Apostolico symbolo expressa sunt. (viii) Sub jactura salutis cuivis credendum est, quod homo ad *Imaginem Dei* conditus eam sua culpa amiserit. (ix.) Quod post lapsum homo ab *ortu suo* redemptionis per



Christum indigū in peccato conceptus sit & natus (ix) Quod nemo mortalium ab Adami lapsu *meritis operum* salvari possit, sed quod omnes nos per *Dei gratiam* h. gratuitum atque indebitum favorem salvemur. (x) Quod salutem æternam meritis nostris indebitam, D. N. JESUS CHRIS-  
TUS *suo merito*, & satisfactioe, passione ac morte nobis acquisiverit. (xi) Quod Deus *Pœnitentibus* h. e. peccata agnoscentibus, contritis, in ipsius gratia & Christi merito confisis vitamque emendantibus vel saltem emendare seriò proponentibus *peccata*, quanta quanta sint, *remittat*, in filios adoptet & hæredes vitæ æternæ constituat. (xiii) Dogmata fundamenti sunt *Resurrectio nostrorum corporum, extremum Judicium, æterna piorum salus & impiorum condemnatio æterna*. Denique (xiv) sanctè credendum est, quod cæ-  
tus hanc Religionem amplexus Dei populus vel quod idem est, sit *Ecclesia* &c. Hæc est succincta fundamentalium (quoad constitutiva Fidei) Synopsis. Horum unum si negetur, hæresis est & dogma anathemate dignum. De *Numero* fundamentalium cum nemine contendemus, dummodo de re ipsa constet, cum fieri possit, ut manente eodem fundamento in iisdem dogmatibus verba hic multiplicet, ille contrahat aliusque alio plures vel pauciores articulos numeret, qui dissensus cum non in re, sed in verbis sit, infami hæreseos nota traduci non debet.

XII. Porrò cum Symbolum Apostolicum *Principium* fundamentalium credendorum statuimus, non asserimus *singula* in eodem contenta pro articulis fidei habenda, sed *integras enunciationes*. Ita Christum esse passum est de fide, sed *Præside Pontio Pilato* idem contigisse est circumstantia temporis, non dogma fundamenti, sine quo cognito & credito nemo possit salvari. Nec sine causa in recensione fundamentalium *Decensus Christi ad Inferos* prætermittitur, cum ve-



cum vetustissimi quique scriptores, qui Regulas Fidei texerunt, *S. Irenaeus Tertullianus, Origenes* πειρὶ ἀρχῶν *S. Augustinus* in l. de Fide &c. hujus decensus ne verbulo quidem mentionem fecerint, sed immediatè sepulturam Christi cum ejusdem Resurrectione conjunxerint, quemadmodum etiam *Ruffinus* presbyter Aquilejensis, notissimus ille Symboli Interpres, qui sub finem seculi iv vixit, non tantum Symbolo Orientalium, sed ipsi Romano hanc particulam deesse contestatur. Imò quod majus est, de reali quampiam Christi ad infernum vel damnatorum carcerem profectio, Apostolicis literis vix quicquam clarè & apertè dictum invenies. Vnde colligitur hunc articulum vel in alio aliquo præcedentium implicitè contineri, vel minus principalem nec simpliciter fundamentalem esse, ut proinde qui eum (prout à cæteris contradistinguitur) negat vel in dubium vocat, hæreticus censeri non possit. Sic & *Communio Sanctorum*, quia cum articulo de Ecclesia coincidit, non tam novus articulus, quam proximè antegressi explicatio videtur. Ecclesia enim (vera ac pura, juxta Aug. Conf. art. vii) definitur Sanctorum Congregatio. Denique in Symbolo præcisè loquendo articuli fidei non sunt *Omnipotentia Dei & Creatio cali & terra, ut sic & absolutè* considerata, cum hæc dogmata ex lumine quoque rationis constent. Sed articulis fidei intrinsecum est, ut aliunde nisi quâ facem præfert Revelatio, cognosci nequeant.

XIII. Fundamentum salutis (in quod dum impingitur, est Hæresis) proprièssimè & in rigore dicitur, in quo Salus nostra fundatur. Fundatur autem proximè in *Christo* ejusque ter sancto merito: neque enim in alio quoquam salus neque aliud nomen sub calo est, in quo salvari oporteat, nisi nomen *JESU*. Act. iv, 12 *Gratis justificamur Dei gratia per Redemptionem factam in Christo Jesu quem Deus proposuit propiti-*



asorium in sanguine ipsius Rom. III. 24. Vnde aliud fundamen-  
tum dicente eodem Apostolo ponere nemo potest, præter id,  
quod semel positum est Iesus Christus, I Cor. III, II. Et-  
iam in Vet. Test. cardo salutis erat Fides in Messiam, qui pro-  
inde fundamentum in Sion, lapis angularis, fundatio fundatissima  
dicitur Es. XXIX, 16. & sicut omnes nos per gratiam D. N. C.  
salvos fore credimus, ita idem credidisse Patres V. T. affirmat Pe-  
trus in Synodo Act. xv, II. Hæc igitur Summa Salutis  
consequenda: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium  
daret, ut omnis, qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æ-  
ternam. Joh. III, 16. Si qua igitur Hæresis Dei Gratiam, cu-  
jus hostis erat olim Pelagius monachus ex Britannia, vel  
meritum, satis factionem & Redemptionem per Christum  
evacuet, ut hodie ex hypothesi alterius erroris faciunt Ne-  
ophotiniani, (qui Christum nos passione ac morte sua non  
redemisse, sed vitæ tantum exemplar, quod imitemur, de-  
disse docent,) hoc dogma summo jure pro hæretico habe-  
ri posse existimamus, quia Gratia Dei & meritum Chri-  
sti salutem nostram proximè fundant, & primaria Salutis  
nostræ sunt principia.

XIIII. Sed quia Meritum Salvatoris, rectè cogno-  
sci impossibile est, nisi Persona quoque Christi Θεανδρῶν  
præcognita sit, evidens est, quod vel maximè cognitio  
Christi necessaria sit, præsertim cum ipsius Christi vox sit:  
Hæc est vita æterna, ut te Pater solum veram Deum & quem mi-  
sisti, Filium tuum I. C. agnoscant Joh. xvii, 3. Nisi enim Chri-  
stus sit Deus, nulla est propter infiniti valoris defectum ejus  
satisfactio; nisi sit Homo, homo adhuc erit in reatu. Divini-  
tas ergo Christi & per consequens mysterium SS. Trinita-  
tis, quod propter mysterium Incarnationis revelatum, est  
de salutis nostræ fundamēto, & è pessimis hæreticis fuerunt  
vivi quidem Apostolis Ebion & Cerinthus; seculo II. Carpo-  
crates,



*erates, Artemo & Theodorus Byzantinus*; Seculo III *Paulus Samosati* in Syria Episcopus; Seculo IV *Arius* ecclesiæ Alexandrinæ presbyter, cujus dogmata longè latèque diffusa Orbem ferè Christianum olim occuparunt, juxta ac *Photinus* Syrmij episcopus in eo ab Ario distinctus, quod hic Filium Dei ante mundi primordia à Deo creatum ἐξ ἑκ ὀντων; iste eundem in utero matris primum cæpisse blasphemaret. Photini hæresin hodie novo paxillo *Sociniani* suspendunt, quorum auspices & promachi superiori seculo *Michaël Servetus, Valentinus Gentilis, Lelius Socinus, Georgius Blandrata, Franciscus Davidis, Johan Sommerus, &* hoc nostro *Faustus Socinus, Christoph. Ostorodus, Valent. Schmalzius Gothanus, Crellius, Volkelius &c.* fuerunt. Huc quoque pertinent *Hostes divinitatis Spiritus S. dicti Pneumatomachi &* ab Auctore, qui seculo IV vixit, *Macedoniani*; juxta ac omnes, qui non tantum singulas personas, sed totam S. Trinitatem adorsæ distinctionem personarum in Deo evertere conati sunt, uti fecit seculo II *Praxeas, & Hermogenes* vocati *Theopaschita & Patripassiani*. Seculo III *Sabellius &c. Antitrinitarii* specialiter appellati, qui omnes læsæ divinæ Majestatis rei impiam manum in ipsum Deum evibrarunt. Præter hos non minus sunt hæretici, qui *humanitatem Christi* arietarunt *Simon Magus*, hæreticorum omnium signifer, *Basilides Alexandrinus, Valentinus, Marcion, Apelles Manichæi* eorumque *gregales, &* hodie multi ex *Anabaptistis*. Totum verò Incarnationis mysterium *Nestorius & Eutyches* seculo V. destructum oppositis è diametro hæresibus voluerunt. Hæ sunt portæ inferorum, potiores Hæreses vel pestilentiora dogmata, quæ adversus fidei articulos in Symbolo *Satanas* ab orco contra ecclesiam, veritatis illam columnam produxit. Verùm Ecclesia *Caucasi* instar altissimis defixi radicibus sub Salvatoris sui præsidio & ductu Spiritu S. immota perman-  
sit nec



fit nec fluctus h. e. insultus hæreticorum concutere eam potuerunt, sed ipsi fuerunt confracti. Atque has hæreses præcipuas reputamus ideo, quod duo hæc mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis sint *caput* vel fastigium Religionis nostræ, quibus ab infidelium cætu, à Judæis, Turcis atque ethnicis Christiani nos discernimur. Interim concedimus in alijs quoque articulis graves hæreses cum æternæ salutis dispendio conjunctas dari v. g. si quis neget *Resurrectionem* mortuorum, quod & ipsum à priscis hæresiar- chis *Simonianis, Saturnianis, Basilidianis, Carpocratianis, Valentinianis, Marcitis, Ophitis, Cajanis, Sethianis, Archonticis* & pluribus alijs factum. It. si quis cum hostibus gratiæ *peccatum originis* neget, *Ecclesiam* vel *extremum iudicium* vel *infernum* &c. non credat, nihil non horum hæresis est ideo quod hæc singula directe Symbolo Apostolico prout Vetus Ecclesia exposuit, adversentur.

XVI. Dividi aliàs Hæreses, ut nunc de ijs loquimur, in *Generales* & *Speciales* solent. *Speciales* dicuntur, quæ unum duntaxat fidei articulum; *Generales*, quæ plures simul articulos destruunt, id quod in Hæresibus communiter fieri videmus. Sunt enim articuli in Symbolo instar *aureæ & calopendule catenæ* ita invicem connexi, ut qui unum solvit, communiter plures confringat & totam fidei salvificæ compagem tandem dissolvat. Nec malè alicubi S. Hieronymus scripsit: *Hoc proprium est hæreseos, ut de una hæresi due fiant & hæc rursus in partes dividantur.* Sic ex *Arianismo* velut ex equo Trojano innumeræ sectæ *Eusebiani, Anomœi, Exucontii, Photiniani, Pneumatomachi, Daliani, Psatyriani* in perniciem Ecclesiæ profiluerunt, invicem quidem discordes, in eo tamen concordēs, quod Filius Dei non sit Deus. Similiter *Eutychianismus* plurium hæreseon vel saltem errorum officina erat. Hinc enim  
*Monophy-*



*Monophysita, Schematici, Acephali, Tritheita, Agnoeta, Damiani, Pauliani, Petrini, Armenii, Monotheleta vel Univoluntarii, Apharodoceta, Phartolatra, Iacobita &c.* coorti sunt. Et ne longe factorum exempla petantur, hodiernos *Photinianos* spectemus. Hi cum initio quidem solam divinitatem Christi evertissent, fieri aliter non poterat, quin duo illa suprema Fidei mysteria Trinitatis & Incarnationis pessunderent: nam si Christus, Dei Filius non sit verus & essentialis *Deus*, nec divina persona, nulla quoque amplius erit *Trinitas* in Deo. Dein si Christus non sit Deus, sequitur, quod Deus *humanam* carnem non assumerit. Actum quoque est de *merito* Christi: neque enim à nudo eoque finito homine infinitæ justitiæ satisfieri potuit. Quid? dum Christum Deum negant, nihilominus divino cultu maectant, prorsus in *idololatriam* incidunt. Neque hinc subsistunt, sed & alios articulos paulatim convellunt. *Creationem* ex nihilo dubiam faciunt Deoque materiam coævam ponunt. *Resurrectionem* mortuorum impugnant, dum eadem numero corpora resurrectione negant, quæ omnia ex Catechismo *Racoviano* liquent. Tales igitur Hæreses *Generales* dicuntur. Inter has verò *duæ factiones* eminent. Una *Divinitatem* Christi impetit, habetque auctores *Ebionem & Cerinthum*, contra quos ipse Johannes Apostolus calamum veritatis strinxit. Desiit tandem in *Nestorianismo*; altera *Humanitatem* Christi convulsit, autore *Simone Mago*, quem Petrus & Paulus Apostolorum Principes Romæ confutarunt. Desiit tandem in *Eutychianismo*. Hæ duæ Scholæ per aliquot secula innumerum hæreticorum numerum attraxerunt, ut *Lerna malorum* rectè dicantur. Dogmata autem illa hæretica esse evidens est, cum ab ipsis Apostolis auctores sint condemnati & ab ecclesia proscripti. Et hæcenus de Hæresibus *Primæ Notæ*.

C

XVII.





HÆRESES SECUNDÆ NOTÆ.

XVII. Hæresis primæ notæ est, ut ostendimus, *error in constitutivis Fidei* vel in articulis Symbolo Apostolico comprehensis. Sed cum *S. Scriptura*, *ἡ ὀρθόδοξος ἡ γαφή* sit *primarium* idque unicum totius nostræ Religionis quoad sacra dogmata fundamentum, canon fidei, regula vitæ & norma salutis, fieri aliter non potest, quin omnia dogmata sive theoretica sive *practica* à Deo scriptis propheticis atque apostolicis clarè & perspicuè indita & sancte nobis commendata ad salutem sint necessaria, ut proinde non tantum *in Credendis Symbolum*, sed & *in Agendis* (hæc enim Deus ad salutem æquè requirit) *Decalogum, Precem Dominicam, Sacramenta Baptismi & Eucharistia*, Verbo: omnia *Catechismi* capita, quin & alia quædam *Dogmata* quamvis ex naturæ lumine cognita, quæ ad articulos fidei *ἄξιον* habent ab Apostolis & Prophetis evidenter proposita fundamenti loco statui oporteat. Inde enim *super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum superstructi* dicimur ipso summo *angulari lapide Jesu Christo* Eph. II, 20. Asserimus ergo quod quicquid sacrorum dogmatum totius Scripturæ, cum primis N. T. (quod est enucleatio Veteris) ambitu evidenter continetur & Orbi Christiano comendatum est, *fundamentale* h. e. necessarium cognitu ad salutem eique directè opposita doctrina Hæresis dici debeat, juxta quam sententiam scripta ab Apostolis virisque Apostolicis sufficienter ad salutem tradita erunt *Lapis quasi Lydius*, ad quem dogmata omnia, sintne catholica, an hæretica, probari oportet, Si quod dogma cum scriptis apostolicis congruit, Catholicum id est, vel dignum, in quod tota Ecclesia consentiat. Si quod dogma iisdem è diametro adversetur, qualecunque tandem sit, erit hæreticum. His positis Hæresis secundæ notæ est *error apostolicæ doctrinæ manifestò & clarè oppositus in agendis æque ac credendis.*

XVIII.



XVIII. In primitiva Ecclesia hanc Praxin cognoscendæ hærescos observatam insigniter *Tertullianus* latinorum Patrum, qui è scriptis constant, facile antiquissimus in lib. de *Præscriptione* inde sic dicto, quod in eo modum in aprium producendi hæreses ex collatione cum Apostolicis literis præscribat. *Hanc, ait, dirigimus Præscriptionem adversus hæreticos, si D. N. I. C. Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius Patrem novit, nisi Filius & cui Filius revelavit, nec Filius aliis videtur revelasse, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint Apostoli, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per eas Ecclesias, quas Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea. Si hac ita sunt, constat omnem doctrinam, quæ cum apostolicis ecclesiis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam: Hac enim sine dubio id tenet, quod ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit; reliquam verò omnem doctrinam de mendacio (de hæresi; quia contra hæreses est Tertulliani Præscriptio) præjudicandam, quia sapit contra veritatem ecclesiarum, Apostolorum, Christi & Dei. Et paulo inferius: Age jam, qui voles curiositatem exercere in negotio salutis tuæ (quidè modo consequendæ salutis sollicitus es) percurre ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedra Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authentica litera eorum recitantur sonantes vocem & representantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere habes Ephesum. Si autem Italia adjaces, habes Romam. Hæc Tertullianus, è quibus patet in Veteri Ecclesia morem deferendi dogmata ad Cathedras Apostolorum h. e. ad Ecclesias ab ipsis Apostolis fundatas viguisse non quod cathe-*



dris istis *infallibilitas* annexa & in successores devoluta crederetur, sed quod *rum temporis* adhuc manuscripta apostolica & ab ipsis Apostolis viva voce edocti discipuli praesent. Hodie autem, cum cathedrae istae partim funditus deletae, partim erroribus manifestis pollutae sint nec amplius autographa apostolica ostendere possint, frustra ad tales provocaveris. Sufficiunt earum loco SCRIPTA APOSTOLICA, quae sanctè adhuc Ecclesia universa custodit. His quicquid in dogmatibus repugnat, ut olim, ita hodiernum inter haereses deputandum est, teste eodem Tertulliano in initio libelli de velandis Virginibus: *Omne id, quod contra Veritatem (SS. literarum) sapit, haeresis est etiam vetus consuetudo.* Et in l. de Resurr. Haereticos *Scripturarum lucifugas* appellat.

XIX. E graecis Patribus S. Irenaeus l. i. c. 3. Doctrinam Apostolorum in Scripturis *Fundamentum & columnam fidei* appellat, quia fidem salvificam inde disci, agnosci, extrui & concipi oportet; quia & haeretico nomine infamat omnes, qui *Scripturis Apostolicis non assentiuntur*, & notas haeticorum his verbis describit c. 2. *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex autoritate & quia variae sint dictae & quia non possit ex his veritas inveniri ab his, qui nesciant traditionem.* Quotquot igitur in evidens S. Scripturae dogma impingunt, S. Irenaeo haeretici dicuntur. Similia habet S. Hieronymus, qui in epist. ad Gal. v. ita definit: *Quisquis aliter intelligit S. Scripturam, quam sensus Spiritus S. flagitat, à quo conscripta est, licet de Ecclesia non discesserit, haereticus appellari potest.* His *ὁμοφωνα* sunt, quae S. Hilarius scribit l. ii. de Trinit. *Extiterunt plures, qui caelestium verborum simplicitatem pro voluntatis suae sensu, non pro veritatis ipsius absolute susciperent, aliter interpretantes, quam virtus dicto*



dictorum postulat. De intelligentia enim hæresis est, non de scriptura, & sensus, non sermo fit crimen. Juxta Hilarium igitur Hæreticus est, quicumque ullum S. Scripturæ dogma (male interpretando verba Spiritus S.) pervertit.

XX. Ex recentioribus M. Antonius de Dominis, Vir SS. Antiquitatum & consuetudinum Vet. Eccl. calentissimus in rem præsentem: Quoties, inquit, nova doctrina est contraria Dogmati in Scriptura clarè & manifestè contento, tunc ex tali Scriptura hæresis agnosceatur & damnabitur sola Scripturarum in se clarissimarum inductione atque ex illis Novator convincetur, qui sanè si contra claras Scripturas sentiat non tam hæreticus erit, quam infidelis. Si enim admittat aliquod dogma clarè in SS. Literis reperiri, id tamen verum esse non putat docerque Scripturam mentiri, isti erit omnino infidelis. Verùm omnis Hæresis est in falsa Scripturarum interpretatione & distorta intelligentia eorum, qui Scripturas admittunt, tanquam verè à Deo revelatas & à Spiritu S. dictatas, sed eas perverso sensu intelligunt & explicant (Hæresis igitur juxta M. Antonium est perversa explicatio S. Scripturæ in dogmatibus.) Vbi autem interpretatio illa stulta est & nullam in se probabilitatem habet, erit crassa & palpabilis hæresis, statim explodenda. At si nova interpretatio aliquid probabilitatis habuerit, Concilia Generalia convocanda sunt, in quibus vera loci interpretatio indaganda est, tum ex alijs Scripturæ locis parallelis, tum ex Veteris Ecclesiæ sensu ita, ut si Ecclesia semper & ubique apostolicis traditionibus instructa dogmaticum istum Scripturæ locum contrario sensu intellexerit, novitas ista tanquam hæresis explodenda sit &c. Hæc Spalatinus Archi-Præsul l. vii. de Rep. Eccles. cap. vii. §. 4. quo arbitro Hæresis in manifesto à dogmatibus S. Scripturæ dissensu collocanda est. Eiusdem nobiscum sententiæ est B. Hornejus, qui in Dispp. Theol. de Ecclesia th. xxxii. Hæreticos definit, quod Christianam quidem fidem



amplectantur, & hac ratione ab infidelibus differant, sed ita, ut unum vel plura ejus capita in dubium vocent aut ALITER INTEL-  
LIGANT, quam ea VERBO DEI exposita sunt & Ecclesia Christia-  
na ab initio usq; intellexit. Et th. seq. scribit: Hereticus dici-  
tur, qui DOCTRINAM VERBI DIVINI, ut ea ab APOSTOLIS i-  
psis tradita est, non servat, sed INTERPOLAT. Si quæ igitur  
Doctrina ab Apostolis profecta sive de Fide sit, Sacramen-  
tis vel moribus eademque morosè impugnetur, Hæresis  
est. Th. xxxv. remedium optimum contra omnes hæreses statuit,  
Doctrinam Apostolicam ut quemadmodum ab initio in toto  
orbe tradita hæc est, accuratè custodiatur & SS. Scripturis  
Apostolicis, quibus doctrina illa uberrimè exposita est, sim-  
pliciter & sine omni detorsione credatur ea que ita, ut ecclesia u-  
niversa à principio intellexit, intelligantur.

XXI. Neque verò Auctoritas tantum veterum ac  
recentium Dd. sed & ratio manifesta comprobat, errorem  
quemvis doctrinæ apostolicæ rectà adversum in agendis æ-  
que ac credendis hæresin esse. Nam cum Deus docet vel  
dogmata pandit, hæc profectò Christianis nobis cognitu,  
creditu, factu ad salutem necessaria sunt omnia, quamvis  
omnium non sit par necessitas: propter nostram enim salu-  
tem illa tradita sunt omnia; quod si dogmatum S. Scriptura  
notitia indifferens & ad consequendam salutem perinde  
sit, eadem revelasse vel explicasse opus non erat. *Aguo-  
scimus quidem (scribit ex re & vero Casaubonus) inter  
contenta divinis oraculis discrimen, quod non sunt omnia ad sa-  
lutem ex æquo necessaria. Illa simpliciter sunt necessaria, in qui-  
bus DOGMA aliquod continetur, puta de Vno Deo, de Tribus Perso-  
nis SS. Trinitatis, de Redemptione humani generis per Christi sangui-  
nem, de SACRAMENTIS aut similibus alijs. Exempla virtu-  
rum aut historica narrationes remissiore quadam, ut sic dicam, ne-  
cessitate sunt necessaria. Quæ pertinent ad prius genus, ea vi-  
demus*



demus ab omnibus Evangelistis aut plerisque omnibus esse posita. Sic de Sacramento Baptismi agunt omnes Evangelista & de S. Eucharistia omnes, prater Johannem, ut quibusdam placet: nam alij aliter censent gravibus de causis. Idem in epist. ad Perronium: Nulla ad ineundam Concordiã via brevior est, quam si diligenter separentur necessaria à non necessarijs & ut in illis conveniat, opera omnis insumatur, in non necessarijs libertati Christiana locus detur. Simpliciter necessaria Rex appellat, quæ expressè Verbum Dei precipit credenda & facienda, vel ex Verbo Dei necessaria consequentia Verus Ecclesia elicit. Cum igitur non articuli tantum fidei (ita vocamus dogmata pura fidei, quæ in Symbolo extant nec nisi ex revelatione constant) sed & Decalogus (una cum Prece Dominica) & Sacramenta aliaque dogmata, quæ Scriptis apostolicis clarè continentur, sint ad salutem necessaria, utique in his quoque Capitibus Doctrinæ Christianæ hæreses dantur, quia hæresis est error in quibusvis ad salutem necessarijs.

XXII. In hac sententia iterum mos Vet. Ecclesiæ nos confirmat: Illa enim non solum ob negata vel in dubium vocata Fidei constitutiva, sed & in *Praëambulis* quibusdam vel *Antecedentibus* fidem Dogmatibus, quamvis ex lumine naturæ cognitis Hæreses statuit. Quis nescit Semper & Ubique pro damnatis hæreticis *Manichæos* habitos ideo vel maximè, quod DUO RERUM PRINCIPIA inter se diversa atque adversa eademque aeterna & coæterna duasque naturas Boni & Mali sequendo alios antiquos hæreticos docuerint, teste S. August. ad Quodvult. hæret. XLVI. qui per novennium ipse in hac hæresi vixit. Verùm talis illa est, quæ multitudinem Deorum infert & Vnitatem Dei naturaliter cognitam arietat. Huc è primis tribus seculis hæretici plerique pertinent, *Basilidiani*, quorum deaster erat *ABRASAX* vel *Abrasadabra*; *Valentiniani* cum suo xxx. *Aëonum*



*Æonum figmento; Marcita*, qui deos duos contrarios finxerunt *Αὐτὸν καὶ Σιγῶν*; *Heracleonita*, qui Æonum Conditores *Bython & Sigon* h. Profundum & Silentium statuerunt; *Hermogeniani* ob assertam *Hylem*; *Marcionite* autores tritheismi, Deo uno summo, altero medij ordinis, tertio infimo existente & Mundi architecto; *Ophite*, quibus in Sacris Deo loco Serpens; *Sataniani*, qui Satanam, ne noceret, adorarunt. Hi omnes propter asserta quæ non minus rationis lumine, quam ex S. Scriptura confutari possunt, inter hæreticos communitotius ecclesiæ calculo relati sunt, cum horum Dogmata SS. literis aperta fronte repugnent.

XXIII. Similiter *Anthropomorphita* vel *Audiani*, qui Deum corporeum membrisque humanis, oculis, manibus, auribus &c. præditum finxerunt adeoque non articulum fidei strictè & per se ita dictum, sed *Simplicitatem Dei*, Attributum naturaliter de Deo cognitum subverterunt, ab Ecclesia velut hæretici sunt proscripti. S. *Augustinus* ita illos cum cæteris hæreticis componit, ut fateatur suum ab *Epiphano* dissentire: *Epiphanius* enim *Audianos* Schismaticos, non hæreticos appellasse videbatur. Sed hi Doctores conciliari possunt, si dicas *Audianos esse & non esse hæreticos diverso respectu*. Dum enim *Augustinus* hæreticis connumerat, dogma ipsorum ponderat, quo quia expressè contradicunt Christo Joh. iv, 24. dicenti: DEUS SPIRITUS EST, materialiter hæretici erant. Nec obstat, usitatè in SS. literis Deo corporis membra tribui: id enim improprie per *ανθρωπομορφίαν* fieri tum ex recta ratione tum ex fidei analogia novisse poterant. Dum verò *Epiphanius* solùm Schismaticos vocat, ad formam hæreseos, quæ est, (ut infra dicetur) *Pertinacia*, respicit: nam ipse *Audius* *Αἰεσιδάχνης* (homo cætera probus) stupidus & simplex & quotquot illum sequebantur, plerique monachi magis ex *stupore*, quam



quam malitia errasse (ut ex eodem Epiphanio hæc. xx constat) ideoque formales hæretici non videntur fuisse. Si qui hodie sint, qui nomen Christi profitentur, negent autem *Providentiam Dei, Aeternitatem, Omnipotentiam* ipsi Apostolico Symbolo insertam *Justitiam Dei &c. immortalitatem animorum, dari Angelos, existere Diabolum* aut similia; hæc omnia erunt hæreses secundæ notæ, quamvis proximè non sint contra Fidei constitutiva, sed adversus Fidei præambula & ad Naturalem Disciplinam, ad Pneumaticam referantur, soliusque naturæ ductu convelli queant. Hæreses autem ideò sunt, quia horundem opposita doctrina in SS. Literis constanter & evidenter est exposita.

XXIV. Notanter autem diximus, hæreses in **QUIBUSDAM** Præambulis Fidei occurrere; præsertim in his cum quibus articuli fidei ita complicantur, ut sine jis plenè exponi nequeant, dicunturque articuli fidei per accidens: nam de omnibus hoc asserere foret absurdum, cum in multis Fidei antecedentibus variæ quæstiones *curiosæ atque curiosæ* moveri possint, quarum nulla est in Sacro Codice decisio ideoque affirmare & negare ad salutem perinde est v. g. An Deus exactè definiri possit? an Deus sit **NUMERO** unus, quod nonnulli etiam Patrum veterum negarunt? Quales in mente divina existant idæ? Quomodo Deus seipsum contempletur vel amet? &c. De his in S. Scriptura indecisus quæstionibus salva Religione Christiana citra notam hæreseos varie disputari potest. Par ratio est *de Consecutivis* Fidei, quæ ex positis in Symbolo articulis educuntur. De his ita censemus: Nullum contra fidei consecutiva dogma ideo, quia consecutarium aliquod articulo- rum fidei evertit vel quia inde hæresis *primæ notæ* per consequentiam elicitur, pro hæresi habendum, quamdiu adversa pars consequentiam illam non admittit, cum in forman-

D

dis



dis consequentijs facile subesse vitium possit; errores tamen hæresibus primæ notæ valdè propinquos aliquando contingere patet, cum scilicet ex aliquo dogmate per bonam & pronam consequentiam everio articuli in Symbolo educi potest. Ita v. g. si quis neget Christum *Risibilem*, error est vicinus illi hæresi, quæ Christum hominem negat, prout in supra laudato contra Moguntinos Responso D. D. Calixtus th. xxc. & seqq. egregijs ex Antiquitate Eccl. petitis exemplis de *Apharodocetis* & *Monothelitis* ostendit. Verum si quod dogma è consecutivis articulorum fidei, qui Symbolo continentur, evidenter & perspicuè ab Apostolis fuerit traditum & literis *ἁποστολικῶν* inditum vel expressè alicubi in apostolicis scriptis deprehendatur, citra hæresicos notam negari vix posse arbitramur.

**§. XXV.** Porro cum hæresis sit error in necessarijs ad salutem; Deus autem in Verbo suo præter *Symbolum* etiam *Decalogum*, quo *Orationem*, præcipuam divini cultus partem referimus; & suo modo *Sacramenta Baptismi* atque *Eucharistie* sub necessitate salutis exigat, adversus hæc quoque *Doctrinæ Cathæchetice* capita hæreses dari (sed secundæ notæ) haud absurdè pronunciat. Decalogi quidem vel moralium Præceptorum summa in praxi necessitas ex singulis propemodum paginis S. Scripturæ relucet, præfertim ijs in locis, ubi Christus ait: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Matt. xix, 17. Sed quomodo servabis, nisi cognita? Sicut ergo praxis, ita etiam cognitio mandatorum Dei volentibus ad vitam ingredi prorsus necessaria est. *Nisi abundaverit iustitia vestra, plusquàm Scribarum & Phariseorum, non intrabitis regnum celorum.* Matt. v. 20. It. in illo Apostoli: *Sine Sanctimoniis nemo videbit Dominum.* Ebr. xii. 14. *Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissionem.* Ebr. x, 36. Proinde quemadmodum in *Dogmatica Theologia* quæ-



gia quædam credenda, habentur ad salutem *simpliciter* necessaria, quorum epitome est *Symbolum Apostolorum*, & in his error est *hæresis*: ita in *Theologia Morali* Præcepta vivendi habentur salvandis similiter necessaria, quorum compendium est *Decalogus*, & quisquis illa evertit, quoad *vitam* est impius; quoad *doctrinam*, in hæresin incidit. Rem exemplo Veteris Ecclesiæ illustremus. Ab initio usque fundatæ primæ Ecclesiæ usque in hodiernum *Nicolaitas*, *Gnosticos*, inde sic dictos, quod singularem fidei notitiam jactarent, *Carpocratianos*, ab obscænis moribus *Borboritas* vocatos, impiam illam colluviem, qua nequiorem Sol in Orbe Christiano non adspexit, inter hæreticos fuisse cum primis ideo relatos palam est, quod cum Christiani haberi vellent, circa *vivendi* rationem errores adeo tetricos & pudendos habuerint, ut id fidem plane superet. Docebant enim Fidei mysteria exactè à nemine prius cognosci, quam *scelera omnia designasset*, & animam de corpore in corpus detrudi, donec nullo non vitiorum genere esset polluta, cum scriptum sit: *Non exhibis inde, donec novissimum quadrantem solvas* Matt. v, 29. quod sic exposuerunt: Anima tua de ergastulo corporis non exhibit, sed aliud ex alio corpus immigrabit, donec minima maxima flagitia commiseris. Docebant, *Dei cultum in promiscua libidine & commixtione venerea*, ad quam exercendam noctu coibant, positum. Ne infandam hujus sectæ Eucharistiam *de virili semine & menstruo muliebri* confectam & loco corporis sanguinisque dominici sumtam commemoremus. Vid. Epiphanius Hær. xxvi. Vita horum impia, doctrina hæretica erat.

XXVI. *Sacramentorum*, quæ à D. N. I. C. instituta in Ecclesia *instar Legum fundamentalium* habent, necessitas ad salutem ex SS. literis æquè manifesta est. Hæc enim de

D 2

Baptif-





Baptismo vox Christi ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum caelorum* Joh. III, 5. Et de SS. Eucharistia: *Nisi ederitis carnem filij hominis & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis* Joh. VI, 53. quo capite de Sacramento agi communis veterum Interpretum doctrina est. Verba mandati sunt: *Baptizate, Edite, Bibite, Hoc facite in mei commemorationem.* Imò quoties Sacramenta à Christo dicimus *instituta*, fatemur eadem nobis subjactura salutis imperata, quia Christi *institutio & mandatum* additis solum *personis*, propter quas facta est institutio, in idem recidunt. Sed & alias à nemine verè-christiano Sacramentorum ad salutem necessitas negatur, licet tanta illa non sit, quanta Fidei. Interim eo modo, quo sunt necessaria, etiam hæreses dici possunt *errores, quibus essentia vel doctrina Sacramenti à Christo & Apostolis revelata destruitur.* Argumentamur ita: Quorum praxis est necessaria horum quoque cognitio est necessaria, quia doctrina praxin dirigit, præsupponit & fundat. Atqui Sacramentorum praxis est necessaria, ut ostendimus. E. & per consequens quidam in doctrina Sacramenti error, quia in re ad salutem necessaria, est hæresis.

XXVII. Dein uti Sacramenta sunt *divina originis*, ita in iisdem *dogmata divina* verbis perspicuis proposita habentur. Sed omne tale dogma cum infringitur, materia hæreseos est, prout Hæresis supra definita est *error Apostolica Doctrina contrarius.* Dantur ergo in Sacramentis Hæreses secundæ Notæ. Accedit, quod cum Sacramentis haud proleteria *Fidei mysteria*, e. g. cum Baptismo *mysterium Regenerationis*, à quo *lavacrum regenerationis ac renovationis in Spiritu. S.* dicitur; cum S. Eucharistia *mysterium presentie & comestionis corporis ac bibitionis sanguinis dominici* intrinsecè & essentiali nexu cohæreant, quorū pro-  
fecto



fecto cognitio arbitraria non est, sed certo gradu neces-  
saria. Reverenda Antiquitas Sacramenta anonomastice  
*μυστήρια* Religionis nostræ vocat, præsertim in S. Euchari-  
stia *Ἐπιπέτοι μυστήριον* *pavendum ac tremendum mysterium, μυσ-*  
*τήριον τὸ ἀπόρητον ineffabile mysterium* agnoscit. Sed talium  
negatio cum indifferens censi nequeat, utique hæretica  
est vel cum salutis æternæ periculo conjuncta, quod sine  
dubio *Patres Niceni* in Concilio Oecumenico i expende-  
runt, cum Baptismi Sacramentum in recensione dogma-  
tum fundamentalium posuerunt. Ita enim verba habent  
in Symbolo: CONFITEOR VNVM BAPTISMA  
*in remissionem peccatorum.* Si quis igitur VNVM BA-  
PTISMA negaverit, articulum Symboli Niceni negat i-  
deoque reus est hæreseos. Non jam urgebimus, quod ipse  
Apostolus *disidia circa Eucharistiam*, cum pro vulgari epu-  
lo à nonnullis illa haberetur, *αἰετέως* vocare non dubitet à  
Deo permissas, ut electi probarentur i Cor. xi, 19.

XXIIX. Neque verò omnem de re Sacramentaria  
errorem hæreticum proclamamus, sed eum, quo *essentialis*  
aliqua *pars* Sacramenti destruitur, perinde ut in rebus Fi-  
dei non quivis error, sed is demum hæresis est, quo articu-  
lus aliquis evertitur. Stante hac hypothese rectè catalogis  
Hæreticorum inserti sunt *Encratitæ* vel *Hydroparastatæ*, la-  
tinis dicti *Aquarij*, qui ab Eucharistia vinum sustulerunt &  
ejus loco aquam dandam statuerunt. It. *Pepuziani* vel *Ar-*  
*zoritariæ*, qui cum pane eucharistico *caseum* dederunt, teste  
Aug. hæ. 28. It. qui *uvas, lac &c.* loco vini porrigenda do-  
cuerunt. Indifferens autem est, sive panis eucharisticus  
fermentatus sit sive azymus, sive sit rotundus, sive oblon-  
gus, sive triticeus sive filigineus. De vino perinde est, si-  
ve aquæ aliquid affundas, sive meracum sumas. In his ergo  
per se non est hæresis, nec propter talium diversitatem schis-



ma formari debet, modo scandala caveantur. Sed priores errores quia partem Sacramenti essentialem vel integram tollunt, rectè damnantur, censuris sacris subduntur nec in gremio ecclesiæ connivendo tolerari possunt. Hæc ut ad hodiernas de Eucharistia controversias applicemus, non veremur doctrinam, quæ præsentiam Corporis Christi in S. Cæna adeoque fidei aliquod mysterium contra clara verba institutionis negat; It. alteram, quæ laicos ab usu calicis abarcat, & sub Vna communicandum docet, *materialem Hæresin* æstimare ideo, quod per utrumque dogma S. Eucharistiæ pars essentialis, per Calvinismum Materia Cælestis, per Papismum Materia Terrena auferatur, qui error profecto tam levis non est, ut arbitrarius censi possit. Gravius est Sacramentorum pondus & majus momentum in Doctrina de Sacramentis quam ut cuivis (quemadmodum in Scholasticis quæstionibus licet) quidvis ea dere statuendi potestas sit. Vera enim de Sacramentis Doctrina necessariam Christianorum praxin dirigit.

XXIX. Similiter in Doctrina *Baptismi* Hæresis est, si quis eundem hodie inefficacem nec nisi *externam Christianæ professionis notam*, qua sub initium N. T. Fideles ab Infidelibus fuerint distincti, at nunc fundata ecclesia ritum superfluum, vel inutilem, qui dudum deserit, statuatur, prout Neophotiniani p. t. docent. It. Hæresis est, si quis loco aquæ in qua Salvator Baptismum instituit, *igne*, ut olim *Seleuciani & Hermiani* factitarunt, teste *Philastrio* de Hæres. vel *candenti ferro* vel *sanguine*, vel *oleo* atque *balsamo*, vel *arena & sabulo* baptizandum existimet, quorum nonnulla priscis hæreticis approbata. Hæreticum quoque censemus, si quis formulam Baptismi in nomine Patris, Filij, Sp. S. pervertat & de suo aliam aliquam seligat. Eo nomine hæretici



tici erant *Eunomiani*, qui in nomine *Patris increati, Filij creati*  
& *Sp. S. à creato creati* baptizandum affirmarunt. In talibus  
ergo, quibus materia vel forma baptismi evidenter SS.  
Literis expressa destruitur, potest esse Hæresis. Nulla au-  
tem hæresis est in alijs circa *Baptismum* quæstionibus v. g.  
an aqua baptismi fontana vel fluviatilis, è stagnis vel cister-  
nis hauriri? It. an baptizandus aquæ immergi, an aspergi  
saltem? ter an semel debeat? utrum satius sit formulam  
efferre in prima persona: *Ego te baptizo*, an in tertia, quod  
græci faciunt: *Baptizetur Servus Jesu Christi*? Hæc, quia  
in Dei verbo indecisa, ad salutem *αδιαφορως* se habent, &  
perinde est, quicquid horum (modo ne infirmis scandala  
præbeantur) feceris.

XXX. In primis h. l. notandum, quod necessitas Sa-  
cramentorum quoad praxin non sit *absoluta* nec tanta, ut ne-  
mo in ullo casu sine eorum usu salvus fieri possit. Valet  
h. l. illud: *Non nuda privatio Sacramenti damnat, sed contemptus.*  
Hinc in casu necessitatis si quis infans vel adultus bapti-  
zari aut S. Eucharistiæ particeps fieri nequeat, huic ideò  
salutis spem non adimimus, id quod alibi fusè proba-  
tur. Cum verò notitia Sacramenti sit propter praxin, illa  
non magis quam hæc necessaria censerì potest, juxta tri-  
tum Axioma: *Propter quod unum quodque est tale, hoc magis*  
*est tale.* Doctrina ergo de Sacramentis, quamvis perspi-  
cuè & rotundis verbis in sacro codice exposita sit, *absolutè*  
tamen & *sine ullo ad casus* intervenientes, propter quos ve-  
ram de Sacramentis doctrinam novisse, *moraliter* impossi-  
bile est, *respectu* ad salutem necessaria non videtur; puta si  
quis ingenio sit stupido, errori à puero innutritus nec me-  
liori informatione aut Præceptore orthodoxo frui potue-  
rit, paratus interea est, errorem suum si novisset, quanto-  
cius deserere & veram doctrinam amplecti, hic in Hæresi  
qui-



quidem versatur, at ipse hæreticus non est, nisi *materialiter*, cum sine *Pertinacia* erret. In *Pertinacia* autem complementum Hæreseos situm paulo inferius dicitur. Dispar ratio de eo est, qui rem aliter nosse ut debebat, ita moraliter poterat, cum ingenio verioris sententiæ capaci polleat & Doctores orthodoxos in promptu & à consilijs habere possit. Is verò si occasionem oblatam negligat nec scrupulos sibi eximi patiatur, damnabiliter in Sacramento errat, quod & ipsum *B. Calixti* verbis referemus : Is enim cum hominem non obstante simplici *intellectus* errore in Sacramento salvari posse rectè dixerat, subjungit : *Excludimus autem malitiam & pertinacem assertionem vel professionem ejus, de cujus falsitate homini constet & conscientia sit convicta : Id enim non imbecillitati intellectus, sed improbitati & perversitati voluntatis imputandum fuerit. Neque dubitari potest, quin sint, qui repugnante conscientia errorem doceant vel tueantur, illi sibi iram Dei & damnationem attrahant.* Nos autem si qui tales inter Sacramentarios existant, non tantum damnabiliter errare, sed etiam *formales hæreticos* æstimamus, cum *Materia* & *Forma* Hæreseos in ijs dentur; *Materia*, quia error ipsorum est evidenti *Doctrinæ Christi* & *Apostolorum* directè oppositus & in re ad salutem suo modo necessaria; *Forma*, quia pertinaciter errori insistent.

XXXI. Si quis jam ex nobis *Fundamentalia* h. e. dogmata ad salutem necessaria ( contra quæ quoties erratur, statim hæresis aliqua enascitur ) sciscitetur, cum *D. Chemnitio* respondemus : *Deus ipse summaria capita doctrinæ celestis, quantum cuique ad salutem sufficit, ex universa Scriptura in breve compendium contraxit. Quam summam Græci pulcra appellatione nominarunt CATECHESIN, Veteres verò Germani venustius appellarunt BIBLIA LAICORVM.* In *Enchir. de præcip. doctr. capit.* Placet nobis, quod *CL. D.D.*



D. D. Joh. Reinboeh Inaugurali suæ de Catechesi veterum Rostochii habitæ hac de re inseruit : Catechesis fundamentalis continet, quibus salvis salutem sperare possumus & quibus negatis vel subversis ipse Christianismus & consequenter salus æterna destruitur. Disputantur quidem varia inter eruditos, quorum multa sine detrimento salutis, plurima verò cum utilitate ignorari possunt. *At non Catechetica. Ab his si recesseris, à Vita Christiana recedis & de salute periclitaberis. Hac si salva fuerint, nec reliqua debent esse tanti momenti, ut vel pax impediat vel dilectio proximo denegetur.* — Fundamentalia autem illa habeantur, quæ Catechesis Apostolorum & Veteris Ecclesiæ habuit, & pauca supererunt, quæ pacem impediunt. Ita ille th. xxix. & seqq. Ex Reformatis Johannes Davenantius Theologus Anglicanus in Adhortatione sua ad Pacem Eccl. cap. vii. *Quinque Capita Catechismi (Decalogum, Symbolum, Orationem, Baptismum, Eucharistiam) Fundamenta & fulcra christianismi statuit. In Baptismo, inquit, doctrina fundamentalis est Christianos in nomine SS. Trinitatis, ut in Christi familiam inserantur, esse baptizandos. In Eucharistia Sacramento fundamentalis doctrina est in pane & vino esse celebrandum; memoriam Dominicæ Passionis in eo semper esse recolendam; in illo Sacramento Christianos habere non vacuam & umbratilem Christi crucifixi representationem aut significationem, sed veram realem, salutiferam communicationem Corporis & Sanguinis Christi.* His positis iterum patet non tantum contra articulos fidei in Symbolo, sed & contra Sacramenta errores fundamentales, vel quod idem est, Hæreses dari. Notetur autem, *bisariam* aliquid fundamentale dici; semel id, sine quo nemo simpliciter vel in ullo casu salvatur; & h. m. Sacramenta Christianismi fundamenta non sunt; dein id, quod clarè à Deo in Scriptis Apostolicis ob salutem nostram patefactum est ideoque scitu vel creditu necessari-

E

um





um est secundum quid (excepto scilicet casu moralis impossibilitatis) & h. m. Θεόμητορον Sacramentorum Doctrinam de fundamento Ecclesiae haud absurdè cum supra citatis Doctoribus statuimus.

XXXII. Haecenus Hæreses Secundæ Notæ declaravimus & ad eas retulimus omnia cum SS. literis pugnantia Fidei, Sacramentorum Morumque dogmata. Id verò non est ita accipiendum, quasi omnia S. Scripturæ contenta pro articulis fidei habeamus, prout insipidè admodum in Colloquio Ratisbonensi A. CIO IC I *Adamus Tannerus* sess. XI asseruit, eo absurditatis delapsus, ut canem quoque Tobiae articulis fidei accenseret. Historia sic habet. *Dixit Tannerus: Centum possunt dari articuli pro uno, qui non omnibus & singulis Christianis distinctè speciatim & absolute sine credendi h. e. quando illis non proponuntur ab illo, qui habet auctoritatem. Gen. 2. dicitur: Fons ascendebat à terra. It. Tobiae VI. dicitur, quod Tobias habuerit canem. Id ergo omnibus fidelibus necessario credendum est? Revertit D. Aegidius Hunnius: Estne ergo articulus Fidei, quod canem secum duxerit Tobias? Resp. Tannerus: Maxime, maxime, maxime. Ita verò etiam Penula Pauli, cuius mentio est II Tim. IV, 13. fuerit articulus & quis canem Tobiae vel penulam Pauli negaverit, hæreticus erit & filius gehennæ? Absurdè! De Dogmatibus, non de historijs; de divinis enunciatis, quæ in negotio salutis nos dirigunt & viam ad cælum monstrant, nobis sermo est, cum hæreses SS. literis opponi dicimus.*

XXXIII. Porro mens nostra non est, quod omnis novitas dogmatum vel diversitas in explicanda S. Scriptura sit Hæresis, sed illa demum, quæ cum Doctrina Apostolica è diametro pugnat. Sic in Vet. Eccl. Chiliasmus vel dogma de millenario Christi regno terreno ante supremum Iudicium in aurea & gemmata Jerusalem à  
pijs



piis transigendo, cuius elegans descriptio apud Lactantium  
extat, diu inter ipsos Patres viguit, Virosque sanctissimos  
assertores habuit. Error erat sic satis grandis; Hæresis  
non erat, cum hoc dogma tantum PRÆTER, non CON-  
TRA evidentem S. Scripturam videatur inductum. Et ut  
propiori exemplo rem exponamus, Erasmus Roteroda-  
mus, Reip. literariæ, dum viveret, columna & Concordiæ  
in Ecclesia studiosissimus non parum in eo cespitavit,  
quod omnia vel pleraque saltem dicta S. Scripturæ, quibus  
expresse Divinitas Christi in N. T. asseritur, ad peregrinum  
sensum detorserit. Sed quia ubique professus est sese Di-  
vinitatem Christi in SS. literis agnoscere & sanctè crede-  
re, nuda hæc in interpretando diversitas hæreticum non  
fecit. Benè alias Vincentius Lerinensis in Commonit.  
*Scriptura celestis intelligentia ad unam ecclesiastici sensus regu-  
lam dirigatur in iis precipuè questionibus, quibus CATHOLICI  
DOGMATIS FUNDAMENTA innituntur. Nam circa  
particularem aliquam Historiam Scriptura levis nostra halluci-  
natio, quales circa chronologia vel topographia rationem vel in-  
nominum & personarum distinctione multi errores etiam peritis-  
simis saepe obrepunt, qui neque solent neque debent odioso illo &  
infami nomine hereseos notari sed tantum voce erroris mitiore.  
Diverse autem diversorum Interpretationes & sententia de eo-  
dem loco S. Scripturae non sunt hereses, sed sunt explicationes tan-  
tum toleranda & saepe etiam, quia lumen obscuris Scripturae locis  
offerunt, laudanda. Exemplum novitatis laudandæ in ex-  
positione dictorum S. Scripturæ B. Calixtus in Tract. germ.  
contra D. Wellerum producit, ubi dictum Dan ix; 26. Excin-  
detur Christus ET NON IPSI novo & apud scriptores eccle-  
siasticos parum obvio sensu, sed pulchrè & analogiæ fidei  
congruenter exponit, fore ut Christus excindatur, sed non  
SUA IPSIVS CAUSA.* Hujusmodi explicationes,





quamvis novæ & hactenus inauditæ essent, laudi potius;  
quam vitio dandæ sunt nec erroris, nedum hæreseos ac-  
cusari debent.

XXXIV. Porro Hæresis in quæstionibus *Annatis* non  
est. Annatas dicimus quæstiones de rebus sacris, quarum  
in Dei verbo nulla est decisio; vel quæ præter & extra  
Dogmata Apostolica inter eruditos in Scholis agitantur.  
In his quidem error, at non hæresis locum habet, quia hæ-  
resis (per se) est error CONTRA S. Scripturam. Simi-  
liter, quamvis ipsa Mysteria Fidei de salutis nostræ fun-  
damento sint, *Modum* tamen mysteriorum quia Deus non  
patefecit, citra salutis periculum ignorare licet nec pro-  
pterea hæreseos nota inuri cuiquam debet. Cedro di-  
gna est vox Scaligeri:

*Ne curiosus quære causas omnium,  
Quæcunque libris vis Prophetarum indidit  
Afflata cælo; plena veraci Deo;  
Nec operta sacri supparo silentij  
Irrumpere aude, sed pudenter præteri.*

*NESCIRE VELLE, QUAE MAGISTER MAXIMVS  
DOCERE NON VULT, ERVDITA INSCITIA EST.*

Præterea ad veram ac formalem Hæresin requiritur, ut *di-  
rectè & formaliter* cum SS. Literis pugnet. Bifariam enim  
Doctrina fundamenti labefactatur, semel cum articulus  
nostræ Religionis *aperiè directè, rotundè & in ipsis terminis*  
negatur v. g. Scriptura docet, Deum esse unum, Christum  
esse Deum, mortuos resurrecturos &c. Tu verò cum chri-  
stianus haberi velis, his omnibus directa negatione con-  
tradicis. Hæc ergo est hæresis. Dein *consecutivè vel per  
consequentiã* v. g. Scriptura æquè ac recta ratio Immorta-  
litatem animæ docet. Sed si anima sit ex traduce, mul-  
tis



is inde videtur colligi, quod nulla sit immortalitas ani-  
mæ. E contra cum anima immediatè à Deo creari di-  
citur, alii hinc deducunt, quod Deus sit Autor peccã-  
ti, quippe qui animam peccato originis infectam creet  
corporique immittat. At Deum esse Autorem peccati  
contra omnem rationem & scripturam, horribilis est bla-  
sphemia. Sed quia neutra pars consequentias illas ad-  
mittit, neutri etiam parti infamis hæreticorum titulus af-  
fricari debet. Notanter Leonh. Hutterus: *Statuimus, in-*  
*quit, non quemvis statim errorem facere hæreticum, & funda-*  
*mentum evertere, sed eum tantum, qui DIRECTE in articulum*  
*aliquem fidei impingit & PERTINACITER defenditur. Directè*  
*autem dicitur error impingere in fundamentum fidei 1. quando*  
*non in circumstantiam saltem aliquam, sed in ipsam substantiam*  
*articuli fidei. 2. quando non reductivè per consequentias, sed per*  
*verba immediatè & verbis & sensu in articulum fidei & salutis im-*  
*pingit.* Ita Hutterus in Irenico Christiano c. XIII, cujus sen-  
tentia subscribimus.

XXXV. Nullam quòque Hæresin in *Ritibus* Eccle-  
siasticis collocamus, cum ritus ecclesiæ non sint in SS. Li-  
teris expressè fundati nec à Deo, à Christo, ab Apostolis  
imperati, ideoque *ἀδιάφογοι, ἐν τοῖς μέσοις*, ad salutem ar-  
bitrarij atque indifferentes, quos condere & abrogare (mo-  
do citra scandalum fiat) in Ecclesiæ manu est. At Hære-  
sis, oportet, ut sit contra evidentem S. Scripturam & in dõ-  
gmate ad salutem necessario, cujus nec condendi nec tol-  
lendi potestatem Ecclesia habet. Sic in Vet. Eccl. Tessa-  
rescædecatitæ vel Quartaedecimani formales hæretici non  
fuerunt, quamdiu in libertate Ecclesiæ positum credide-  
runt, quocunque die Pascha ageretur. Nec injuria a-  
pud *Ἐπιφάνιον* aliosque Concordiæ studiosos Victor Papa  
malè audit, qui præcipiti fervore tot nobiles, ab Aposto-





lis recens fundatas & martyrum cruore tinctas in Asia Ec-  
clesias ideo, quod decima quarta luna nec eodem cum Ro-  
manis die F. Paschæ agerent, condemnavit & anathema-  
ti subjecit. Vnde nonnulli in anathemate illo Victoris,  
Papæ A. C. cxcii. Antichristi infantiam collocant. Histo-  
riam legere est apud Eusebium lib. v. Hist. Eccl. cap. xxiii.  
Hoc verò (quod nulla in Ritibus sit Hæresis) adeo verum  
est, ut salva Religione Christiana ab ijs quoque Ritibus,  
quos Apostoli in SS. literis commendarunt, recedere no-  
bis liceat. Sic Apostolus 1 Cor. xi, 4. cum Sacra publica  
ordinat, jubet Viros, ut *aperto capite* orent, pro concione  
loquantur vel cætibus ecclesiasticis intersint, cum obtectio  
capitis ex recepto ejus ævi more signum subjectionis es-  
set, sed detectio capitis signum libertatis. Fæminas ca-  
pite velato orare ac prophetare vel in SS. publicis consi-  
stere jubet expressa hac ratione : *Debet mulier postatens  
habere in capite propter angelos.* Rectè autem Beza in suo  
N. T. ad marginem addit, *Politicam esse hanc legem Pauli  
temporis sui circumstantiis accommodandam, cum hodie  
contraria prorsus ratione capite aperto loqui in cætu signum sit  
subjectionis.* Ex quo patet à ritu illo apostolico citra notam  
hæreseos discessum esse, adeoque ab alijs quoque quamvis  
Oecumenicis & toto orbe Christiano receptis consuetudi-  
nibus, siurgens ratio subsit, discedi posse, quod pluribus ex  
Antiquitate petitis exemplis alibi comprobatur. Signa-  
te in rem præsentem Bartholomæus de Saligniaco eques  
& Jctus Gallus, qui post initia superioris seculi terram  
sanctam lustravit, quum in mentionem græcorum incidis-  
set, in Itinerario suo scribit : *Græci tamen in multis cere-  
moniis differant à ritu Rom. Ecclesie, ideo tamen damnandi non sunt,  
nisi fatuè credamus hominum salutem in ceremoniis consistere aut  
magis fatuè extra Romam neminem posse salvari.*

XXXVI.



XXXVI. Denique in *Formulis loquendi* vel enunciandi sacra dogmata (modo in re consensus sit) hæresis nulla est, quia rerum, non vocum diversitas hæresis est. Ex usu quidem ecclesiæ est, ut ὁ τῶν ὑγιαίνόντων λόγων τῶν *Formula sanorum verborum* per omnia teneatur; nec temere ad ecclesiastica officia admittendi sunt, qui quamvis veram & rectam Fidem animo teneant, publicè tamen formulas loquendi de hæresi suspectas vel cum analogia fidei pugnantes usurpant: Hæreseos enim periculum est, siquidem vulgus verba ut jacent ac sonant, vel ut naturalis ipsorum conceptus in ea fertur, intelligunt & facile ex vocibus incommodè prolatis hæresin fingunt. Aliàs hæresis in modo loquendi non est. *Sensus, non sermo fit crimen*, ait S. Hilarius libr. II de Trinit. Et adversus Arianos de Synòdis scribit idem ille omnes orientales episcopos à vocabulo ὁμοούσιος primum abhorruisse; hos tamen pro catholicis agnitos. In eundem sensum B. Lutherus, dum contra Jac. Latomum disputat, dixit: *Quod si odit anima mea mea vocem homousios & nolim ea uti, non ero hæreticus. Quis enim me coget uti, modo rem teneam, quæ in Concilio per Scripturas definita est.* Sic in mysterio SS. Trinitatis si quis unum Deum Patrem, Filium & Sp. S. aliumque à Patre Filium & alium ab utroque Sp. S. omnes tamen ac singulos ex æquo unum illum verum Deum esse credat, hæreticus non est, licet terminos, quibus in scholis investiri sublime hoc dogma solet v. g. Trinitatis, Essentiæ, Hypostaseos, Subsistentiæ, Suppositi horumque similes nesciat vel non admittat. Studiosis autem Theologiæ & Candidatis S. Ministerij, qui hæresibus & heterodoxiis ansam præbere nolunt, *libellum Urbani Regij de Formulis caute loquendi*, qui hodie Corporis nostri Julij pars est, commendamus. Vnum ferè oblitum sumus, quod moneri dignum: Si quod dogma er-  
rone-



roneum inter Hæreses propriè dictas relatum velis, necesse est, ut ejus oppositum *evidenter & perspicuè* in SS. Literis extet: sicut enim in civili Republica omnis lex *perspicuè* debet proponi & *omnis scriptura, quæ obscure loquitur, habetur pro non locuta*, ut dicitur Extr. III de prob. c. 2. & ex sententia Imperatoris cod. de LL. *Leges, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent*: ita in Ecclesia omne dogma, quod Christianos in conscientia & sub jactura salutis obligat, *claris & manifestis verbis* in Sacro codice extare oportet: nam si obscure & ambigüe fuerit propositum, perinde est ac si propositum non fuisset. Et hætenus de Hæresibus Secundæ Notæ.

### HÆRESSES TERTIÆ NOTÆ.

XXXVII. Hæresis Tertiæ Notæ est Dogma quodvis erroneum vel saltem præter SS. literas sub necessitate salutis super inductum & pro fundamentali habitum, cum non sit fundamentale. Nam hujusmodi additamenta inter hæreses verè & propriè dictas computari illud Apostoli evincit: *Licet nos aut angelus è cælo evangelizet vobis καὶ ὁ εὐαγγελιστὴς* P R A E T E R id, quod nos evangelizavimus vobis ANATHEMA sit Gal. 1, 7. Non dixit, si quis CONTRA, sed & illum, qui P R A E T E R Evangelium ab Apostolis traditum alia pro evangelicis venditat, anathema h. e. hæreticum esse, quod insigniter ad h. l. Theophylactus observat, dum ita commentatur: *Non si contraria solum predicaverint, sed si evangelizaverint id, P R A E T E R quod ipsi evangelizavimus h. e. si plusculum ipsi adjecerint, execrationi subdantur.* Huic doctrinæ Praxis Apostolorum congruit. Hi enim Pseudoapostolos in hæresin condemnarunt eosque à sua atque ecclesiæ communione excluderunt ideo, quod una cum  
pro-



professione Fidei Christianæ *Circumcisionem* aliaque Legis  
Mosaicæ ritualia, sacrificia &c. ad salutem necessaria sta-  
tuerent & h. m. Judaismum Christianæ Religioni superin-  
ducerent. Id verò erat *novum* istud *evangelium*, quod ana-  
themate dignum pronunciat Apostolus. Doctrina Pseu-  
doapostolica expressis verbis legitur Act. xv, i. *Quidam*  
*qui descendebant è Judea docebant fratres & dicebant: Nisi*  
*circumcidamini ritu Mosis non potestis servari.* Et iterum: *Qui-*  
*dam surrexerant ex heresi Phariseorum, qui crediderunt dicen-*  
*tes, oportere ipsos (ethnicos conversos) circumcidere, & man-*  
*dare, ut observent legem Mosis;* Contra hanc hæresin Syno-  
dus Hierosolymitana ab Apostolis habita ibidem legitur; quin  
& Apostolus nobilem ad *Galatas* epistolam adversus ean-  
dem scripsit. Eusebius l. iiii. hist. eccl. cap. xxi. Pseudo-  
apostolos refert *Ebionitas* fuisse, iisque tribuit, quod *omniò*  
*sibi legis observatione opus esse dixerint, perinde ac si SOLA Fide*  
*in Christum & vita fidei consentanea servari non possent.* Quam  
certum igitur est pseudoapostolos hæreticos fuisse, tam  
certum quoque est, dogmata præter apostolica sub necessi-  
tate salutis inducta & ecclesiæ obtrusa (v. g. si quis ho-  
dienum doceat: *Nisi circumcidamini, non potestis salvari*) verè  
hæretica esse.

XXXIIX. Fatemur quidem Apostolos ipsos ante,  
quam in ipsos effunderetur Spiritus S. existimasse Legem  
Mosis ex divino instituto de necessitate salutis esse. Sed ea  
ærate abrogatio legis Mosaicæ, præsertim cum ipse Chri-  
stus eam implevisset & suo alijs exemplo prævixisset videre-  
tur, nondum *plenè & perspicuè* constabat. Sicut ergò in  
V. T. mysterium Trinitatis non erat vulgo ad salutem cre-  
ditu necessarium ideò, quod evidenter in V. T. revelatum  
nondum esset. At hodiè sine eo cognito & credito salvari  
nemo ordinariè potest; ita exhibitò primùm Christo neces-

F

fitas





fitas Legis Mosaicæ ad salutem falsò ab Apostolis aliquan-  
do credita error quidem, sed ob defectum perspicuæ re-  
velationis hæresis non erat, prout nunc est. De Ecclesia  
quoque Judaica, præsertim Hierosolymitana, viventibus  
Apostolis constat, quod ritus Mosaicos una cum fide in  
Christum observaverint. Ita enim S. Jacobus & presby-  
teri Hierosolymitani Paulum compellant: *Vides, frater,  
quot millia sunt in Judæis qui crediderunt & omnes sunt Legis Ze-  
boze. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Mose  
eorum, qui per gentes sunt, Iudæorum dicens, non debere eos cir-  
cumcidere filios &c. Act. xvi, 10.* Sed Resp. nunquam et-  
iam in V. T. creditum, quod circumcisio & ritus Mosaici u-  
niversaliter & toti humano generi de *simplici & absoluta* ne-  
cessitate salutis fuerint, ita, ut nemo à tempore latæ legis  
salvari potuerit; quin legem istam observasset: Iuvat hoc  
ipsum verbis CL. *Stevogrii* referre, qui disp. de Profelytis  
ita: *Christiani, inquit, nimis ad damnandum proclives sunt &  
vel ex una voce, ut putant, incongrua plures hæreses cudunt, quam  
olim Hercules hydra Lernaæ decussit capita. Non sic Iudæi. Hi  
enim iis etiam locum in Paradiso assignant, qui nihil in vita  
servant, nisi septem præcepta Noachidarum, uti cætera à  
fide Judaicæ alieni sunt.* Ita ille Th. xliix, ubi ex Anti-  
quitatibus Judaicis pluribus idem demonstrat. Non igi-  
tur putandum est, quod Iudæi vivis Apostolis ad Christum  
conversi Legem Mosis *absolute & indifferenter* gentilibus  
æquè ac sibi necessariam ad salutem æstimaverint, quæ fo-  
ret ipsissima pseudoapostolorum hæresis. At quia circum-  
cisio à Deo erat instituta, ut esset signum fæderis *perpetui*  
Gen. xvii, 12. & leges Læviticæ sapientissimum Legislato-  
rè habebant & datæ erant, ut *pactò sempiterno* custodirentur  
Ex. xxxi, 16. fieri potuit, ut Christiani ex Iudæis conversi  
observantiam Legis ritualis sibi suisque liberis necessariam  
ad



ad salutem duxerint non quidem necessitate *Medij*, sed necessitate *Præcepti*, quod Majores ipsorum à Deo acceperant, nec ejus abrogatio conversis Iudæis constare aliunde poterat, nisi à Deo Auctore Legis nova & perspicua Revelatio fieret. Apostoli vero etiamsi in Concilio *Hierosolymitano* hæresin pseudoapostolorum, *gentilibus* quoque jugum legis imponere volentium condemnassent, *Judeos* tamen conversos, qui cum lacte quasi materno opinionem de necessitate Legis imbiberant, in sua divinorum Rituum observantia conturbare noluerunt & ne cursus evangelij inter Iudæos sufflaminaretur, apud infirmos istos fratres facile scandalum hinc passuros contra legis illam à tot seculis Dei mandato cultam observantiam, quæ olim in orbe Iudaico fundamenti doctrina *θεοπνευστος* fuerat, nihil clarè & apertè prædicare, sed synagogam honestè sepultam voluerunt, quod cum excidio Urbis contigit. Iudæis igitur conversis *claram revelationem* de Lege Levitica abrogata non habentibus error quidem ob falso creditam legis illius exhibitio Christo necessitatem, sed hæresis impingi non poterat, cum rem aliter non nossent nec ob defectum claræ revelationis aliter scire possent. Poterant autem novisse & omnino ex apostolorum doctrina, præsertim ex definitione in Synodo facta noverant pseudoapostoli quod observantia Legis Leviticæ non tantum non esset *medium* salutis, sed nec *gentilibus* ad salutem necessaria, adeoque de fundamento vel de necessitate salutis esse desisset, & propterea hi erant formales hæretici, cæteri Iudæi conversi non item.

XXXIX. Dein non nemini dubium videri possit, an ecclesia Iudaica N. T. ritus Mosaicos pro necessarijs ad salutem habuerit & omnes damnaverit, qui ritibus illis se non conformaverint, cum expressè hæc doctrina:



*Nisi circumcidamini non potestis salvari*, pseudoapostolis tribuatur & in Synodo Hierosolymitana fuerit improbata. Non autem videntur Christiani ab ipsis Apostolis conversi & pro fratribus habiti cum pseudoapostolis paria hæc docuisse: *Nisi circumcidamur, non possumus salvari*. Dicuntur quidem Iudæi conversi *Legis Zelotæ* fuisse, sed hinc nondum evincitur, quod legem istam consequendæ salutis necessariam statuerint, cum ideo *Legis zelotæ* dici possint, quod ritus istos à Majoribus acceptos quid? à Deo olim traditos in honorem Dei & Majorum (quamvis indifferentes jam factos) retinendos duxerint, cum abrogatio Rituū non videretur necessaria, quemadmodum Gentium quoque ecclesia in reverentiam *Canonis Apostolici* à comedendis *idolothytis suffocato & sanguine* per aliquam multa secula, cum jamdudum sanctio ista defuisset, abstinuit, fuitque canon iste in aliquot Concilijs etsi post unitas Ecclesias Iudæorum & gentium nullus ejus usus amplius esset, publica autoritate sub pæna excommunicationis firmatus, quid? in hunc usque diem Græci sunt hujus canonis zelotæ & sanctè à talibus abstinent; Leo Imperator Constit. LIX. *exilio perpetuo & bonorum omnium publicatione, quin & flagris eos mulctare jubet, qui sanguinem comedunt, emunt & vendunt*. Sed nunquam Ecclesia hanc à sanguine abstinentiam simpliciter necessariam ad salutem statuit. Fieri proinde potest, ut quis sit *Legis in S. codice ad tempus latae zelotæ*, & nihilominus eandem liberè in ordine ad consequendam salutem observet. Ita & Ecclesia Iudaica magno zelo studium legis Mosaicæ ob Dei auctoritatem nunquam non venerabilis professa est, quamvis eandem forsan liberè citra opinionem necessitatis ad salutem retinuerint, perinde ut hodie fit inter Abyssinos: Hi enim *ex veteri consuetudine adhuc circumciduntur, Sabbatum aquè ac dominicum ab omni opere*



opere habent immune, nec sanguinem nec *μετάλωτον* nec mortu-  
cinium comedunt, teste Scaligero l. vii. de Emend. Tempo-  
rum. Sed quia hæc omnia liberè observant nec alias Ec-  
clesias, in quibus ejusmodi consuetudines non sunt, non  
condemnant, hæresis iisdè propter τὰ ἀδιαφορὰ affingi non  
debet, quamvis ad abrogationem talium rituum induci  
non possint. Simile quid de Ecclesia Iudaica adserendum  
videtur. Signatè in rem nostram *Iustinus* dial. cum Ty-  
phone concedit salvari posse, qui cum Fide in Christum le-  
gem Mosis observant, sed negat illos salvari, qui observan-  
tiam Legum Leviticarum velut necessariam ad salutem e-  
xigunt & non observantes eo nomine condemnant. Sed  
de his plus satis.

XL. Præter hanc Apostolorum (hæreses in addita-  
mentis Fidei statuentium) praxin in Veteri Ecclesia idem  
factitatum legimus, cujus rei ex Antiquitate Ecclesiastica  
locupletem testem *S. Augustinum* laudamus. Hujus de Apo-  
stolicis in libello ad Quodvultdeum (qui est hæreseon syl-  
labus) verba manifesta sunt: *Apostolici, qui se isto nomine*  
*arrogantissimè vocaverunt eo quod in suam communionem non re-*  
*ciperent utentes conjugibus & res proprias possidentes, quales ha-*  
*bet ecclesia & monachos & clericos plurimos. Sed IDEO ISTI*  
*SVNT HAERETICI, quoniam se ab Ecclesia separantes*  
*NULLAM SPEM PUTANT EOS HABERE, qui utuntur*  
*iis rebus, quibus ipsi carent.* Hær. XL. Et iterum de Messa-  
lianis, quos græci *Euchetas* vocant, affirmat quod tantum  
orent, ut eis, qui hoc de illis audiunt incredibile videatur. Nam cum  
Dominus dixerit: *Oportet semper orare & non deficere; & Apo-*  
*stolus: Sine intermissione orate* (quod sanissimè sic accipitur, ut  
nullo die intermittantur certa orandi tempora) isti ita nimis hoc  
faciunt, ut inde judicentur inter hæreticos numerandi. Hær. LVII.  
Assiduæ quidem preces per se hæreticæ non sunt, sed assi-



duitatē orandi, quā omnibus alijs sepositis nihil nōn temporis precibus impenditur, sub necessitate salutis veluti mandatum Christi atque Apostolorum urgere aliosque qui non omni tempore orant, condemnare, in Euchetis pro hærēsi habitum est. Sic hærēsin *Nudipedum* enarrans idem Pater ait: *Est alia Hærēsis, nudis pedibus semper ambulantium eo quod Dominus dixerit ad Moſen vel ad Iosnam, Solve calceamentum de pedibus tuis. Et quod Propheta Esaias nudis pedibus Jussus fuerit ambulare.* Inde ergo hærēsis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia taliter intelligunt h. e. quia divino præcepto sub jactura salutis se ad ambulandum nudis pedibus obstrictos nec salvari nisi nudipedes posse putarunt. Hær. LXIX. Certè quocunque die Dominico, an alio F. Paschæ celebretur, perinde est. Sed cum in Vet. Ecclesia nonnulli spargerent, Orbem Christianum *divino mandato* teneri, ut pascha decima quarta luna, eodem cum Iudæis die agerent, intolerabilis facta est hæc consuetudo, quamvis in Asia ipse Johannes Apostolus, S. Philippus, S. Polycarpus, alique meritis in Ecclesiam illustres Viri decima quarta luna pascha celebrassent, imo cum opinio necessitatis accederet, in Concilio Nicæno *excommunicati* sunt, quotquot XIV. luna Pascha Christianis agendum dixerunt, dictique sunt *τεσσαρεςκαιδεκαηταί*, Quartadecimani.

XLI. Similiter *Aeriani*, si ob propria dogmata pro hærēticis habiti sint (nam alias Ariani quoque erant) inde hoc factum est, quod dicerent, *Orare vel offerre pro mortuis NON OPORTERE. It. Presbyterum ab Episcopo nulla differentia DEBERE discerni*, teste Augustino hær. LIII. Vides iterum *τὰ ἀδιαφορὰ* pro necessarijs ad salutem venditata inter hærēses computari. Orare enim vel offerre pro mortuis, episcopum à presbytero discernere &c.

ex





ex se & sua natura indifferens est, at docere, quod nihil horum fieri DEBEAT vel OPORTEAT & damnare Ecclesiam, quæ in talibus disponit, Aerij complices hæreticos effecit. Huic nostræ doctrinæ subscribit *Vincentius Lerin.* in suo *Commonitorio* contra novitates hæreseon cap. xiv. edit. Calixt. *Annunciare aliquid Christianis catholicis præter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit; & anathematizare eos, qui annunciant aliquid præterquam quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nunquam non oportet, nunquam non oportebit.* Hæc Vincentius. Ex *Nostris B. Hornejus* iisdem gemina docet, cum scribit: *Hæreticus dicitur, qui doctrinam Verbi divini, ut ea ab apostolis tradita est, non servat sed interpolat, & sub nomine Apostolicae doctrinae alia & NOVA sicut Petrus 1 ep. 111. loquitur SVBIN-TRODVICIT.* Ex quibus patet, in quovis dogmate erroneo, licet annato, etiam *ἐν τοῖς μέσσοις* posse esse hæresin, si fundamentalibus venditentur, sub necessitate salutis urgentur, & dissentientibus salutis spes evibratis anathematibus præscindatur.

XLII. Ipse quidem *M. Antonius* quamvis in additamenti fidei hæresin dari neget, fatetur tamen hoc limitatè intelligendum: Ita enim in *Ostensione errorum Svarziji* c. 1. §. 4. scribit: *Fides divina ex detractioe vel minima tota perit & consequenter ecclesia vera non est, ne visibilis quidem, in qua integra fides professione publica non retinetur. Sic Ariana Ecclesia non erat vera Ecclesia, quia in Christum diminutum divinitate credebat. — At verò ex additione per hyperbolem & excessum, ut mihi videtur, fides non perit, nisi in additis virtute adsit detractio & vera fidei seu partis alicujus negatio vel non admissio — Credere omnia & aliquid amplius, quod tamen à Deo ad credendum non proponitur, etiamsi id falsum sit & ut verum ac de fide credatur non puto aut infidelitatem aut hæresin*



in se continere, sed errorem, nisi virtute, ut dixi, adsit alicujus veritatis à Deo revelata rejectio. Hæc M. Antonius, cujus sententia à nobis ex ea parte admittitur, qua concedit dari additamenta fidei, in quibus VIRTUTE sit detractio fidei & per consequens Hæresis; at nos existimamus, non tantum ALIQUOD, sed OMNE additamentum si pro fundamentali vel necessario ad salutem æstimetur cum veri fundamenti detrimento esse conjunctum, quod verbis Excell. nostri D. D. Conringij ex MScripto nobis communicato exponere juvat: *Salutaris Fides*, inquit ille, *ita proponit fundamentum salutis, ut non tantum asserat, hoc ipsum esse fundamentum, sed insuper hoc SOLVM esse fundamentum illud, nempe docet Evangelium non tantum per fidem in Christum salvandos homines, sed etiam per fidem tantum esse servandos. Quapropter velut illi, qui fidei adjungunt observationem Legis, rectè dicuntur Apostolo aliud Evangelium docere: ita omnino quotquot aliqua non necessaria adjiciunt fundamento illi, revera eidem plurimum detrahunt negantque id SOLVM esse fundamentum, quod SOLVM tamen esse fundamentum Fides Apostolica affirmat. Tertullianus l. de Præscript, cap. 8. bene: Nobis curiositate, ait, opus non est post Christum nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, NIL desideramus VLTRA credere. Hoc enim prius credimus NON ESSE, QVOD VLTRA CREDERE DEBEAMVS. Vnde argumentamur.*

*Quicquid discretè & formaliter Fidei salutiferæ contradicit, id ipsum est hæreticum.*

*Atqui omne additamentum sub ratione fundamenti traditum discretè & formaliter Fidei salutiferæ contradicit, ut ostensum. E.*

XLIII. Neque hinc sequitur, quod omnis error in adiaphoris vel quæstionibus Annatis sit hæresis, sed quod omnis hujusmodi error, si sub necessitate salutis pertinaciter



citer affirmetur, in hæresin degeneret: Esto enim quæ-  
stio, cujus decisio ad salutem perinde est v. g. an Christus  
ad extremum iudicium mane, vesperi, in meridie vel media  
nocte venturus sit? Vno horum vero cætera erunt falsa.  
Sed quicquid horum dixeris, quamvis forte falsum, absque  
nota hæreseos erras. At si ipsam *ἀδιαφορία* talium quæ-  
stionum tollas, & unum ex his v. g. Dominum noctu ventu-  
rum, fundamento ut partem fundamenti vel articulum fi-  
dei superaddas aliosque qui tecum id non credunt, con-  
demnes, eo demum casu dogma tuum, quod per se hæreti-  
cum non erat, jam in hæresin convertitur. Fatemur qui-  
dem cum Apostolo ex I Cor. III, 12. super fundamentum  
fidei, quod unicum & semel positum est JESVS CHRI-  
STVS, non tantum *aurum argentum & gemmas, sed & ligna  
fanum & stipulas* superextrui, nihilominus cum his simili-  
ter ac illis hominem salvari posse. Sed hæc additamenta  
Fidei, quæ Apostolus d. l. per *fanum, ligna stipulasq;* intelli-  
git, aliquid fundamento superædificant; verum quæ à no-  
bis hæreses vocantur, ipsa fundamenti loco nec amplius  
additamenta censentur. *Concedimus ergo non quodlibet addi-  
tamentum fundamentum destruere. At verò quod ita illi addi-  
tur, ut fundamenti vicem sit, per id omninò verum fundamentum  
arbitramur everti.*

XLIV. His positis (salvo doctiorum iudicio) non vi-  
demus, quo modo pontificia doctrina de Meritis Operum,  
de Purgatorio, de Transubstantiatione, & imprimis de In-  
fallibilitate Rom. Pontificis juxta ac alia pudenda Fidei  
Christianæ additamenta in Papatu Hæreseos notam ef-  
fugere possint. Esto enim (quamvis & hoc valdè contro-  
versum in dubio nunc relinquimus) quod nihil horum per  
se & qua tale sit Fidei destructivum, hi tamen errores dum  
pro fundamento salutis vel doctrinis ad salutem necessa-

G

rijs





rijs publicè proponuntur, & omnes, qui novitatibus illis  
abutibus atque superstitionibus contradicunt vel saltem  
leviter dissentiunt, pro damnatis Hæreticis extrema quæ-  
que promeritis solenniter proclamantur, uti in Concilio  
Tridentino factum, tolerari in Ecclesia non possunt, sed  
ex primitivæ Ecclesiæ praxi, quam ostendimus, Hæresibus  
accenseri merentur. Sicut enim Pseudoapostoli erant Hæ-  
retici non quod cum Iudæis circumciderentur, sed quod  
inter gentes docerent: *Nisi circumcidamini, non potestis sal-  
vari* Act. xv, i. ita pontificij videntur hæretici, non quod  
v. g. Purgatorium credant, sed quod doceant: *Nisi Purga-  
torium credideritis non potestis salvari.* Par ratio est de cæte-  
ris in papatu fidei superadditis articulis. Rectè igitur B.  
Calixtus in Tract. de Conjugio Clericorum impios Hilde-  
brandi vel Gregorij VII. dictatus, quibus Papatus vel Anti-  
christi regnum fundatur, HÆRESIN Hildebrandinam ap-  
pellat; & in Breviario eundem Tractatum præcedente §. 189  
*Hildebrandus (ait) sive Gregorius VII HÆRESEOS de Omnipot-  
entia Papæ & regnis imperijsq; ejus arbitrio subdendis auctor.* In  
ipso Tract. inter alia sic scribit: *Doctrina, quæ Dictatibus il-  
lis continetur, non est Catholicum dogma, sed HÆRESIS Hilde-  
brandina, sive si à recentioribus hyperassistis, qui principes nostræ  
ætate pro ea adstruenda laborarunt, quam ab ipso auctore denomi-  
nationem petere malis, hæresis est Bellarminiana vel Baroniana.*  
Ita ergo dogmata pontificia hæreseos veneno esse infecta  
constat. Videatur Concussio Conringiana Fundamento-  
rum Fidei Pontificiæ Conclus. xlix.

#### FORMA HÆRESEOS.

XLV. Hæreseos materia huc usque exposita est. Jam  
ratio Hæreseos formalis expendenda est. Hanc verò PER-  
TINACIAM statuimus. Neque enim Hæresin solius  
intellectus vitium esse, sed ad complendam eam volunta-

lis



is aliquam malitiam correquiri ex illo Pauli Gal. v. 26. ubi  
hæreses inter *opera carnis* connumerantur, fit evidens. Jam  
verò omne opus carnis in primis vitium appetitus conno-  
tat, quod & h. l. ex specificatione omnium cæterorum ope-  
rum carnis liquet, eademque sententia plerisque omni-  
bus priscis ac recentibus Doctoribus stetit. Ne nunc di-  
camus in ipso nomine *τῆς ἀπειθείας* voluntatis actum includi.  
Ex antiquis unus instar omnium esto S. Augustinus. Is lib.  
xix. de Civit. Dei cap. v. ita: *Qui in Ecclesia Christi, inquit,  
morbidum aliquid pravumque sentiunt si correpti, ut sanum rectum-  
que sapiant, resistunt contumaciter suaque pestifera & mortifera  
dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt.*  
Ob pertinaciam quoque *Montenses*, vel *Donatistas* hæreticos  
factos in libello ad Quodvultdeum hæc. lxxix. profitetur:  
*Donatiani vel Donatista, ait, primùm propter Cacilianum contra  
suam voluntatem ordinatum Ecclesie Carthaginensis episcopum  
schisma fecerunt, objicientes ei crimina non probata -- Sed post  
causam cum eo dictam & finitam falsitatis rei deprehensi PER-  
TINACI DISSENSIONE firmata in hæresin schisma ver-  
terunt, tanquam Ecclesia Christi propter crimina Caciliani seu  
vera seu quod magis iudicibus apparuit, falsa de toto terrarum or-  
be perierit, ubi futura promissa est atque in Africa & Donati parte  
remanserit.* Ita nim. pertinax dissensio hæreseon mater est.

XLVI. Huic S. Augustini doctrinæ *Cassia*, quorum  
scripta nobis videre contigit, omnes consentiunt. Henri-  
cus Herp. Ordinis Minorum de Observantia in aureo, quod  
vocat, Decalogi speculo Præcepto Primo serm. xii. de Hæ-  
resi in hunc modum concionatur: *Aliquando quis non credit  
ex infirmitate animi i. e. debilitate, non tamen pertinaciter insi-  
stet & tunc non est hæreticus, imò si recedit ab illa dubietate re-  
sistendo illi meretur, sicut meretur coercendo primos motus & sti-  
mulos carnis. Si tamen pertinaciter insisteret, esset hæreticus* (quod



ibidem ex Iure Canonico probat) *Hæc, inquit, liquido proban-  
tur extra de summa Trinit. C. Damnamus in fin. Ibi enim non  
damnatur Joachimus Abbas licet erroneum dixerit, quia corrigi  
paratus fuit & ecclesie determinationi se subiecit, unde ille tan-  
tum hæresi dicitur inherere pertinaciter, qui non est paratus cor-  
rigi ad mandatum superioris. Ex his patet, quod pertinacia &  
obstinatio requirantur ad hæresin. Hinc dicit Helinandus Histo-  
riographus, quod licet Papias fuerit autor hæreticorum, qui di-  
cuntur Chiliastra i. millenarij, non tamen inter hæreticos, sed inter  
sanctos in martyrologio computatur. Similiter nec Irenæus Lug-  
dunensis nec Victorinus Pictaviensis hæretici appellantur, qui glo-  
riofissimi martyres fuerunt, & tamen in hac opinione Papiam secuti  
sunt. Multi namque sancti simpliciter in aliquibus errasse legun-  
tur, sicut B. Cyprianus de hæreticis rebaptizandis, qui tamen error  
eis non imputatur propter ceteras virtutes, quæ in eis excelle-  
bant, & quia non ex pertinacia, & animi obstinatione sed ex igno-  
rantia simplicitate errarunt & sic **NULLVS JUDICATUR HÆ-  
RETICVS, NISI QVI VULT ESSE** secundum Doctores. Hæc  
ex speculo illo aureo, cum quibus non malè convenit An-  
gelo de Clavasio, qui in Summa sua casuum conscientie  
juxta ordinem Alphabeticum digesta ad vocem Hæreticus  
hæc ex Alexandro Alensi Doctore, uti vocant, irrefragabili  
annotat: *De hæretico propriè loquendo tria requiruntur. Pri-  
mum est falsa credulitas in rationali (intellectu) quod erret in  
articulis fidei & ejus Sacramentis --- Glossa dicit indistinctè de  
tenente & gignente perversum dogma vel falsas opiniones, quod  
hæreticus est. Alij volunt hoc extendere ad tenentem contra  
canones, sed ego dico clarius, quod falsa credulitas contra fidem  
est dupliciter. Primò directè & principaliter & hoc est omne,  
quod est contra articulos fidei. Secundò indirectè & secundariò,  
sicut ea, ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli, sicut dicere  
aliquid falsi in Scriptura divina contentum, quia est corruptio ibi-*  
lius*



hinc articuli de Spiritu S. qui locutus est per Prophetas. Similiter dicere quod Ecclesia male determinaverit in aliquo circa fidem, est contra illud: Sanctam Catholicam Ecclesiam &c. Secundum quod requiritur, ut quis sit hereticus, est perversa voluntas in concupiscibili. Tertium impugnationis pertinacia ex parte irascibilis sive quod pertinaciter hoc teneatur, quia licet quis erret in fide & aliis predictis, si tamen paratus est corrigi, non est hereticus. Ita Angelica Caluum Summa de Hæresi iudicat.

XLVII. Nec aliter Sylvestrina censet, cuius verba hæc sunt: *Hæresis videtur hæsis intellectus ad falsam sententiam in spectantibus ad fidem aut mores cum obstinatione, ita quod de eius ratione sunt duo secundum S. Thomam super 1 Cor. lect. 4. electio privata disciplina & pertinacia & principaliter est circa articulos fidei, secundario vero circa ea, quæ sequuntur ex eis, & nascitur ex superbia vel concupiscentia commodi temporalis. Hereticus vero secundum S. Thomam & communiter OMNES Doctores definiri potest, quod est is, qui circa ea, quæ sunt fidei, errat per intellectum & PERTINACITER hæret errori per voluntatem --- nam errans circa ea, quæ sunt fidei, non pertinaciter, sed per simplicitatem, NULLO MODO potest dici hereticus. Hæc Sylvester de Prierio. Verba Thomæ Scholasticorum facile principis, ad quæ Sylvester provocat, in Comment. 1 Cor. xi. lect. 4. habentur & sonant h. m. De ratione hæresis est, quod aliquis privatam disciplinam sequatur, quasi per electionem propriam, non autem disciplinam publicam, quæ divinitus traditur. Secundo quod huic disciplina aliquis PERTINACITER inhereat. Nam electio firmam importat inhesionem & ideo hereticus dicitur, qui spernens disciplinam fidei, quæ divinitus traditur, pertinaciter proprium errorem sectatur. Pertinet autem aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Vno directe, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur. Vnde error circa hos secundum se facit hereticum, si pertinacia adsit. —*





verò indirectè pertinent ad fidei disciplinam in quantum & ipsas  
non proponuntur, ut propter se credenda, sicut si negetur Isaac fu-  
esse filium Abrahamæ, sequitur aliquid contrarium fidei scil. S. Scri-  
pturam continere aliquid falsi. Ex talibus autem non iudicatur  
aliquis hereticus, nisi adeo **PERTINACITER** perseveret,  
quod ab errore non recedat, etiam viso, quod hoc ex illo sequatur.  
Hæc ibi Thomas, cuius ductū in explicanda Hæresi agmine  
facto Scholastici sequuntur. Cum Casistis atque Schola-  
sticis etiam Canonistæ consentiunt: neque verò hi propter  
Ius canonicum, in cuius verba quasi iurarunt, aliter possunt:  
In Gratiani enim Decreto sententia S. Augustini ex Epist.  
CLXII. approbatur: *Qui sententiam suam quamvis falsam  
atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, præser-  
tim quam non audacia sua presumptionis pepererunt, sed à seductis  
atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quarunt autem  
cauta sollicitudine veritatem corrigi parati, cum invenerint, ne-  
quaquam sunt inter hereticos deputandi.*

XLIX. Præter Doctores Pontificios Nostratibus  
Aug. Conf. amplexis idem affirmatur: Ipse B. Lutherus de  
Hæreticis sic iudicat: Der heilige Geist hat öffentlich vnd gewal-  
tiglich geweissaget/das in der heiligen Kirchen würden mit vnter sein-  
hülzern / ströbern / hewern Bawleute / das ist / Lehrer die dennoch auff  
dem Grund oder fundament bletben / durchs Feuer wol schaden neh-  
men / doch selig werden müssen / welches nicht kan von Kezern ver-  
standen werden / denn dieselbe legen einen andern Grund / diese aber  
bleiben auff dem Grunde / das ist im Glauben Christi / werden selig vnd  
heissen Gottes Heiligen / haben gleichwol Hew / Stro / Holz / das durchs  
Feuer der heiligen Schrift muß verbrennen / wiewol ohn schaden ih-  
rer Seligkeit / wie S. Augustinus von sich spricht: Errare potero,  
hæreticus non ero, Ich mag irren / aber Kezer wil ich nicht werden /  
Ursach / Kezer irren nicht allein / sondern **WOLLEN** sich **NICHT**  
weisen lassen / verthädigen ihren Irrthum vor recht / vnd streiten wie-  
der die erkandte Wahrheit / vnd wieder ihr eigen Gewissen / von solchen  
sage S. Paulus Tit. 3. Einen Kezer soltu meiden / wenn er eins oder  
zwei



steter vermann ist / vnd solt wissen / das ein solcher verkehrt ist / vnd  
sündigt autocatacritos, das ist / mutwillig / vnd wissentlich vnd **W** **Z**  
im Irrthum verdampft bleiben. Aber S. Augustinus wil seinen Irr-  
thum gern bekennen / vnd ihnt sagen lassen / darumb kan er kein Keger  
sein / wenn er gleich irrete. Tom. vii. Ien. in lib. de Conciliis, fol.  
240. Hæc Megalandri vox voluntatis aliquam malitiam  
de necessitate hæreseos palam statuit, adeoque solius intel-  
lectus in fundamento salutis error Hæresis completa se-  
cundum B. Lutherum non est. Iisdem vestigijs B. Gerhardus  
insistit, qui Tomo vi. Locorum Theol. *Sicut, ait, vera &  
salvifica Fides notitiam in mente & assensum in intellectu ac fidu-  
ciam in voluntate: ita Hæresis in intellectu errorem & in volunta-  
te Pertinaciam simul complectitur.* Verba D. Leonhardi Hut-  
teri ex Irenico jam superius prolata sunt, quibus eum tan-  
tùm errorem facere hæreticum statuit, qui directè in ali-  
quem fidei articulum impingit & **P E R T I N A C I -**  
**T E R** defenditur. D. Meisnero in Systemate Theologico  
Parte i. Gener. disp. x. de Hæreticis in genere theor. ii. *Hæ-  
reticus definitur Persona in Ecclesia militantis gremio constitu-  
ta, articulum aliquem fidei principalem aliter intelligens ac inter-  
pretans, quam sensus Spiritus S. flagitat vel admittit idque MA-  
LITIOSE, PERTINACITER & non sine aliquo Ecclesie offendi-  
culo.* B. Hornejus in Compend. Theol. lib. iii. C. i. Th. 36. *Hæ-  
resis est error pertinax: Nam saepe quod hæresis est ei, qui rē percipit  
& pertinaciter negat, id non est illi, qui minus rē penetrat nec ex per-  
tinacia adversandi Verbo Dei, sed ex ignorantia invincibili aberrat.*

**XLIX.** Calvinianis vel ut ipsi se vocant, Reforma-  
tis æquè ac nobis Pertinacia inter Hæreseos requi-  
sita collocatur. Lambertus Danæus eruditissimi commen-  
tarioli in Augustini libellum de Hæresibus autor in Prole-  
gomenis cap. 3. exfertè: *Pertinaciam, inquit, Hæresis requi-  
rit non levem tantum & momentaneam opinionem, qua statim in  
nobis labascet, percat & mutetur, quia propositum animi requirit  
Hæresis.* Et paulo post addit: *In summa hæreticus est, qui*



heresi i. e. falsam de aliquo fidei capite sententiam sequitur, quam  
OBSTINATE defendit. Amandus Polanus in Syntagmate  
Theol. Christ. lib. vii. cap. xxii. Hæreticum his tribus con-  
stitui affirmat, Errore, Eviotione & Contumacia. Error, ait,  
non quivis hæreticum facit — sed ille, qui in fidei Christiana fun-  
damentum impingit. Heresis enim proprie est in questionibus  
fidei. Deinde non omnis qui errat in fide, est hæreticus: potest  
enim ex simplicitate & ignorantia errare in fide, nec quisquis sic  
errat, ut tamen veriora & meliora docentem paratus sit, audire  
hæreticus est, nec omnis, qui semel aut bis erroris convictus  
est, sed quisquis in errore demonstrato & autoritate Verbi Dei  
evioto est contumax & in eo persistit. — Est enim PROPRIA  
FORMA Hereseos MENTIS ERROR VOLUNTATE PERTI-  
NACI CONFIRMATUS. Agmen Doctorum insignis ille  
Canonum & Rituum Veteris Ecclesiæ Interpres M. Anto-  
nius de Dominis claudat, qui l. vii de Rep. Eccl. cap. x. in  
rem præsentem scribit: Excludimus ab Ecclesia Hæreticos,  
quia illi integram fidem non habent neque eam volunt ab Ecclesia  
accipere, sed contempto Ecclesia Catholica sensu in errore suo ob-  
stinatè & pertinaciter persistunt. — Si tamen hæreticus in unitate  
Ecclesia perseveret nolique ab ea abrumpi, sed pacem cum ea non  
fictè ad decipiendum, sed verè habere velit neminem condemnans  
(uti olim fecit Cyprianus cum suis) talis cum sit materialiter dun-  
taxat hæreticus, non est ullo modo excludendus. Nam licet opini-  
one sua deceptus integram fidem non habeat, cum tamen Ecclesi-  
am Catholicam credat & nolit eam deserere, si verè error ipsius  
est error in fide, deponet tandem errorem, quia discet ab Ecclesia  
veritatem, imò dum credit Ecclesiam virtute quodammodo dam-  
nat suum errorem, si illum damnat Ecclesia. Videmus inde,  
quod Vir ingenio iudicioque maximus Pertinaciam ad Hæ-  
resin corvequirat. Hæc una si absit, non censet nisi materi-  
alem hæresin esse, & qui sic errat, hunc ab Ecclesia exclusum

NON



non vult. Constat ergo ex Pontificijs, Lutheranis, Calvinianis Doctores allegatos consentire, quod citra Pertinaciam formalis Hæresis non sit. Pertinaciter autem errare dicitur, qui meliora doctus non est corrigi paratus vel cum rem aliter scire posset ac deberet, scire tamen non vult, vel Veritatem negligit aut data opera impugnat.

L. Huic Doctrinæ opponi possunt seqq. (I) Si Pertinacia sit Hæresi intrinseca, sequitur neminem ab Ecclesia pro hæretico declarari posse, cum Pertinacia sit vitium in animo reconditum, de quo exterius, nisi per signa sæpe fallacia judicari non potest. Consequens est falsum & praxi in Oecumenicis Concilijs exercitæ contrarium: Legimus enim quod Ecclesia Arium, Macedonium, Nestorium, Eutychem, Pelagium non tantum Hæreticos, sed & Hæresiarchas extremum anathema promeritos declaraverit. Falsum ergo est Antecedens, puta quod Pertinacia sit Hæresi intrinseca. Resp. (I) per instantiam: Eodem modo ostendè poterat, nemini in Ecclesia constare, qui sint idololatræ, Iudæi vel Turcæ, imò semota Pertinacia, si Hæresis nihil foret aliud, quam ignorantia vel negatio articuli fundamentalis, unde vel sic cognoscemus quinã sint, veri ac formales hæretici necne? nam ad hæc omnia occultum aliquod animi, sive intellectus sive voluntatis vitium, & ut *seriò* illa, non simulatè fiant, requiritur: neque enim formalis est infidelis vel hæreticus, qui in *speciem* tantum, forsan metu Tyranni aut spe lucri Fidem sive ex toto sive ex parte exterius abnegat, & Veritatem *vacito sub corde* reservat. Sed quis hîc *καρδιαγώσκω* ager & veros ac formales infideles vel hæreticos (etiam sine pertinacia spectatos) nobis monstrabit? An propterea dicemus infideles & hæreticos non posse cognosci? Dicimus (II) Neg. Conseq. Hæresis enim nunc in *materia*, nunc in *forma* sumitur, vel hæreticus modò materialiter,

H

modò





modò formaliter denominatur. Etiam si Pertinacia ad Hæresin formaliter sumtam necessaria sit, Ecclesiæ tamen de Hæreson materia vel de Hæreticis materialiter dictis iudicium suum est integrum h. e. Ecclesia in Concilijs vel alijs collecta indicium illorum dogmatum facere potest, quorum ignorantia vel negatio accedente Pertinacia Hæresin format vel formales hæreticos efficit. Denique ex verbis alijsq; signis, de ipsis formalibus hæreticis *valida præsumtio* habetur. Si qui enim nec spe nec metu inducti. Doctrinam fundamenti evertant totiesque moniti, refutati & victas manus præbere coacti errorem suum non tantum non deponant, sed defendere atque in crustare aliosq; seducere pergant & Ecclesiam subinde eludant, ut Arius &c. hæresiarcha factitarunt, hostales *præsumtivè* formales hæreticos rectè dixeris. Qualem enim quisque se in externo ecclesiæ foro gerit, talis rectè ab Ecclesia iudicatur. *Ex verbis tuis te iudicio, serve nequam,* ait Christus Luc. XIX, 22.

LI. Alterum, quod objici poterat, est: Quod si Pertinacia ad complendam Hæresin necessaria sit, hodiè inter Photinianos multi erunt homines simplices atque idiotæ, rustici, opifices, mulierculæ &c. qui omnes mysterium SS. Trinitatis constanter, at sine pertinacia negant, sed ex nostra hypothesi verè formales hæretici non erunt, quod videtur *ἀπὸ τοῦ*. Resp. si qui tales sint ex Antitrinitariis (quod divino iudicio committimus) qui citra Pertinaciam in fundamento errant, parati deserere errorem, modo ansa melioris informationis detur & conscientia à scrupulis liberetur, hos non nisi materiales hæreticos dicere nihil est absurdi. Certè S. Augustinus notabile discrimen inter hæreticos & hæreticis credentes constituit lib. de Utilit. credendi c. 1. *Hæreticis autem credentes* dicuntur in communionem hæreticorum *homines simplices, qui imaginatione quadam veritatis & pietatis*



pietatis ab hæreticis illi assentiuntur hæresi non animi quidem ab-  
stinatione, sed cordis quadam simplicitate & facilitate sive levita-  
te temeritateq; credendi. Itaque de suo errore admoniti neque con-  
tendunt neque pugnant, sed vel resipiscunt vel cedere parati sunt,  
uti eos describit Lamb. Danæus in prolegomenis super lib.  
August. ad Quodv.

LII. Instas: Si tales non sint formales hæretici,  
cum hæresi sua, dummodo cætera rectè vivant, poterunt  
salvari, quod est falsissimum, Resp. Negari Con-  
seq. Sicut in Vet. Ecclesia Christiani, qui tormentis vel  
tormentorum metu victi thura vel victimas idolis obfe-  
rebant, animo ab idolis alieno, non erant nisi *materiales* ido-  
lolatræ, at non sequitur, propterea salvari in illo statu potu-  
isse: Etiam si enim à formali idololatria excusentur, graviter  
tamen sub alio genere peccati deliquerunt nec censuris tan-  
tum ecclesiasticis subjecti, sed & gehennæ rei facti sunt jux-  
ta illud Luc. xii, 9. *Qui me negaverit coram hominibus, hunc vi-  
cissim negabo coram Patre meo, qui in cælis est.* ita seducti ab hæ-  
reticis, si sint a deo stupidi atque hebetes & inopes mentis, ut  
informari rectius non possint, vel eò locorum degant, ubi nō  
*de dogmatis* Doctores nulli, hi non sunt nisi *materiales* hæretici:  
at hinc non sequitur, quod cū errore suo salvari possint: nam  
si errore tuo hujusmodi dogma, sine quo cognito & credito  
Deus *simpliciter* neminem vult salvū evertas, damnatio tua  
justa est non ex eo quidem, quod formalis sis hæreticus, sed  
quod ignores vel nō credas dogma consequendæ salutis *sim-  
pliciter* necessarium; estq; error tuus citra pertinaciam dam-  
nabilis non quod citra pertinaciam consummata sit Hære-  
sis, sed propter sumum illum rigorem, quo Deus fidem hu-  
jus vel illius dogmatis errori tuo oppositi à Te exigit. Rem  
simili illustremus. Ponamus hominem nulli Religioni addi-  
ctum nec Christianum, nec Turcam, nec Judæum nec Paga-





nūā in puris naturalibus hærentem. Hunc in illo statu salvari impossibile est, quia viam consequendæ salutis nescit. Sicut ergo hic talis propter solam ignorantiam mediorem salutis salute excidit, cum cæteros non nuda ignorantia, sed eidem superaddita falsa Religio, à qua *Infideles* dicuntur, cælo excludat: ita inter professos fidē Christi alios solitarius in fundamento error, alios non error tantum, sed adjuncta eidē Pertinacia, à qua formales sunt hæreticis, condemnat.

LIII. Placet nobis de ijs, qui ex simplicitate & bona fide in fundamento errant, modestia Salviani Massiliensis, qui de Arianis (at quantis Hæreticis!) ita censet: *Qui apud nos sunt hæretici apud se non sunt. Nam in tantum se Catholicos judicant, ut vos ipsos titulo hæreticæ appellationis infament. Nos eos injuriam facere divina generationi certi sumus, quod minorem Patre Filium dicant. Illi nos injuriosos Patri existimant, quia æqualem Patri filium presumimus. Honor Dei apud nos est, sed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis esse, quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis hoc summū est Religionis officium. Impij sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo sed bono animo errant, non odio sed affectu Dei, honorare se Deum atq; amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen existimant hoc perfectam charitatē. Quatiter pro hoc ipso falsa opinionis errore in die judicij puniendi sint, nullus potest scire nisi Iudex.* Hæc satis moderatè Episcopus ille Massiliensium, qui A. cccclx floruit, lib. v. de Provid. Objicit tandem: Si pertinacia hæresin efformat, sequitur omnem errorem, cum pertinacia accesserit, etiam in re levissima hæresin esse, quia Pertinacia errores, quosvis circa fidem damnabiles facit. Resp. Neg. Conseq. Etiam si enim Pertinacia fit forma Hæreseos, nondum tamen sequitur in quavis materia, accedente Pertinacia, esse hæresin. Sicut ad hominem non tantum anima rationalis, quæ est forma, sed & corpus organicum, quod est materia hominis, correquitur:



ritur: ita ad Hæresin non sufficit Pertinacia, sed & certa at-  
que determinata materia, quæ est *Dogma Apostolicis literis op-*  
*positum vel superinductum*, coexigitur, & ex his demum con-  
junctis Hæresis enascitur, ut proinde non in quavis circa Re-  
ligionem Christianam materia error vocari hæresis possit,  
licet omnis error Pertinaciæ accessu damnabilis fiat. Ex his  
tandem concluditur, quod HÆRESIS SIT HOMINIS  
FIDEM CHRISTIANAM PROFITENTIS PERTI-  
NAX ERROR DOGMATI APOSTOLICIS LITERIS  
CLARE COMPREHENSO DIRECTE OPPOSITVS  
VEL PRO APOSTOLICO SUPERINDUCTVS.

LIV. Sequiori ævo cum S. Scriptura, Catholicorum  
adeoque etiam hæreticorum dogmatum infallibilis index  
sub Papatu evilisset, nota hæretici fuit nudus isque perti-  
nax ab Ecclesia (Romana) dissensus. Hinc scribit Petrus A. C.  
c10 c xxx Cluniacensium Abbas: *Sola Pertinacia Ecclesie Do-*  
*ctrina resistens Hæreticum facit*. Epist. ii. Hinc est, quod optimi  
quiq; Viri, qui errores & abusus Ecclesie in vectos redargue-  
runt & dogmata Ecclesiastica ad amussim S. Scripturæ exe-  
gerunt, Hæresiarchæ & hæreticorum pessimi proclamati  
sint. Ejus rei exemplo olim fuisse Waldenses vel Pauperes de  
Lugduno, de quibus ipsi eorum adversarij fatentur, quod se-  
cta maximè diuturna fuerit, quippe quæ à tempore Sylvestri  
vel Constantini M. juxta alios à tempore Apostolorum du-  
raverit. 2. quod secta universalis & per Orbem longè latèq;  
fuerit dispersa. 3. quod magnam præ se pietatem tulerit, nec  
in alio deliquerit, nisi quod *Romanam Ecclesiam* blasphema-  
verit, Sed hæc jam eo tempore reprehendi merebatur. Fa-  
tentur iidem Waldensium hostes, quorum testimonia cum  
integra Waldensium Historiam *Flacii catalogo Testium Veri-*  
*tatis* utiliter legi possunt, ab hac secta articulos omnes in  
Symbolo admissos, sed propter hoc unum Hæreticis accen-



fitos, quod à *communi doctrina Ecclesia* secesserint eamq; erroris accusaverint. Dicti alio nomine sunt *Cathari* vel ideo quod puram & honestam agerent vitam vel in memoriam veterum hæreticorum è Schola Novati prodeuntium, qui à suo cætu lapsos, licet Pænitentes, excludebant & similiter Cathari vocabantur; atque hinc cæpit germanica vox esse *Kätter* vel *Käßer* q. d. unus ex Catharis h. e. ex ijs, qui in Ecclesiam Pontificiam ob inductos errores in vehuntur. Quam vocis originem si spectemus, Evangelicos, qui dicimur ac Protestantes nos esse Catharos (*Kätter* oder *Käßer*) fatemur, quia ab Ecclesia Pontificia dissentimus eamque plurimum errorum convincimus. Sed eo sensu Catharus non est hæreticus, prout nos de Hæresi nunc egimus, sed homo ab errore immunis, Vitam & Doctrinam purus, errorum in Ecclesia Rom. annotator.

L V. Quicquid de eo sit, nos in solidum negamus nudum ab ecclesia dissensum circa dogmata, de quibus tacet Scriptura, per se hæresin esse: nam hæresis est error Apostolorum doctrinæ oppositus. Hæc verò sufficienter Apostolicis literis (seposito, Ecclesiæ suffragio) tradita est. Dein Hæresis est error in necessariis ad salutem. Sed, hæc ordinare solius Dei est in suo Verbo. Verbum autem *Θεόπνευστον*, præter scriptum vel à scripto diversum est nullum. Dein esto, quod ecclesia sit infallibilis, hæc tamen *ἀναμαρτησία* latius quam ad fundamentalia non extenditur & h. m. verum est, quod dissensus ab ecclesia doctrinam fundamenti proponente sit hæresis, non præcise ideo, quod ab Ecclesia, sed quod à dogmate SS. Literis clarè contento, cuius custos & interpretis est ecclesia, discrepet. In cæteris autem uti ecclesia non particularis tantum, qualis est Romana, sed & Universalis errandi periculo subjecta est, ita fieri potest, ut quis à communi doctrina ecclesiæ dissentiat, nec tantum non sit hæreticus, sed nec errans quidem. Optimè Rabanus Maurus, qui post initia seculi ix Abbas Fuldæ, post Episcopus



scopus Mogunt. fuit, l. iii. de Instit. Cleric. c. 58. scribit, *Hæreses*  
*græca voce dicta sunt, quas quisq. suo arbitrio ipse elegit. Nobis vero nihil*  
*ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de suo arbi-*  
*trio induxerit. Apostolos Dei habemus autores qui nec ipsi quicquam ex*  
*suo arbitrio quod inducerent elegerint, sed acceptam à CHRISTO di-*  
*sciplinam fideliter Nationibus assignarunt. in eadem doctrinâ etiam*  
*nos acquiescimus.*

L V. Tandem eo res deducta est, ut quid sit Hæresis ex  
solius Pontificis Rom. pro cathedra determinantis ore fuerit  
suspensum: cum enim Papistæ in Rom. suum Præsulem jus con-  
dendi novos articulos novaque Sacramenta conferant, fieri ali-  
ter non potest, quin eidem de Hæresibus statuendi potestas sit.  
Ita nos omnino Hæretici sumus, quos Pontifex Hæreticos de  
Petri Cathedra; ut loquuntur, aus vollkomner macht des Apostoli-  
schen Stuels ( lieber Stuel knacke nicht! addit Lutherus in Notis  
ad Bullam Clementis VII. Tomo III. Ien.) per horribilem Cæ-  
næ Dominicæ Bullam ( verè bullam) solenniter quotannis pro-  
clamat; Sunt adhuc in Papatu multa dogmata adiaphora,  
quorum affirmatio & negatio hætenus ad salutem perinde est  
(v. g. Immaculata Conceptio B. Virginis) sed cum definitio  
Rom. Pontificis accesserit, citra notam Hæreseos nemo contra-  
rium dixerit, nisi fallat vicio creatus ille Hærescon censor, & Ie-  
suitica ejus caterva. Graviter eade re & merito *Licobu* Rex Bri-  
tanniæ in Apologia sua pro Iutameto Fidelitatis omnibus  
Christianis Monarchis atque Ordinibus inscripta conqueritur:  
*Hereticus (ait) censeri non deo, ut qui Scripturis Canonicis credo tri-*  
*buq. Fidei Symbolis, primisq. quatuor Generalibus Conciliis adhaereo. Si*  
*nimis facilis & credulus, præsertim nova dogmata afferentibus esse nolo,*  
*eruditiores fortasse fidei meæ infirmitatem miserabuntur, sed me nemo,*  
*scio, pro Heretico habebit, nisi forte qui pro Deo Papam colunt, eumq. sic*  
*habent quasi Scripturâ loquentem, ut nec Hæresin aliter definiant, quàm*  
*opinionem quamcunq. in causis fidei decisioni Papali contrariam. Extat*  
*Regia hæc & egregia Apologia in Chytræi Saxonia.*

LVI. Verùm dogma istud, quo ad solum Papam supre-  
ma cognitio hærescon defertur, in Infallibilitate R. P. nititur, mi-  
sero)





fero illo ac ruinoso totius Papatus fundamento, quo dirut o præ-  
sens dogma concidit: nam si Papa errandi periculo subditur, de  
articulis Fidei & quæ iis opponuntur, de Hæresibus extra S. Scri-  
pturam tuto h. e. ita, ut securè in illius definitione acquiescas, statuere non po-  
test. Sed jam sæpius Nostrates novum hoc & in omni antiquitate inauditum  
Fidei principum: Quicquid Rom. Pontifex ex cathedra determinat, infallibili-  
ter verum est, confutarunt. In primis B. Calixtus cum alibi passim, tum in altero  
suo Responso Moguntinis opposito de hac causa, quam pertractare nostri jam  
instituti non est, legi meretur. Bene autem est, quod inter ipsos pontificios  
multi sint, quos absurda hujus & SS. Literis æque ac prisca seculis incognita  
Doctrina de Papa, infallibili Dictatore Fidei pudet, nec hodie agnoscunt. Placet  
nobis sententia *Wilhelmi Occami*, qui Dial. p. I. l. II. c. XII. sic scribit: *Quan-  
tum ad ea, quæ spectant ad fidem nostram nec ex voluntate humana dependent,  
non potest Summus PONTIFEX nec etiam tota ECCLESIA Dei de assertio-  
ne non vera facere veram nec de assertione non falsa facere falsam, nec de asser-  
tione non catholica facere catholicam, nec de assertione non hæretica facere hære-  
ticam, & ideo non potest novum articulum fidei facere nec de non hæresi potest  
facere hæresin quocunque modo, quia sicut veritates Catholicae absque omni ap-  
probatione Ecclesie ex natura rei sunt immutabiles & immutabiliter vera: ita  
immutabiliter sunt Catholica reputanda, & consimiliter sicut hæreses absque omni  
damnatione Ecclesie sunt falsa: ita absque omni damnatione Ecclesie sunt hære-  
ses.* Hæc ex re & vero Occam, quem sequitur *Gabr. Biel.* in III. sent. dist. XXV.  
q. unica art. 3. Sed latius de his agentem vide *M. Antonium de Domino* l. VII. de  
Rep. cap. eod. Nos jam exposita NATURA HÆRESEON, quæ ipsi S. Au-  
gustino visa fuit difficilima, receptui canimus. Reliqua quæ de Hæreticis in  
Theol. Morali expediri solent v. g. Quid de Baptismo Hæreticorum, de quo o-  
lim controversia cum S. Cypriano martyre fuit, statuendum? an Sacris Hæreti-  
corum communicare vel saltem interesse liceat? Qua Pænâ, civili an ecclesiasti-  
ca affiendi sint hæretici? An homini hæretico munus susceptoris in Baptismo  
concedendum? An hæretico servanda Fides? etc. casus morales peculiari  
Exercitationi reservamus, iam esto.

IMMORTALI DEO  
IMMORTALIS GLORIA!


---

Fol. B. pag. 1. lin. 21. pro *in* ~~in~~ necessaria lege in necessaria











99 A 6923

ULB Halle 3  
002 546 833




99 A

Reho ✓









19.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
H A E R E S I

IN GENERE

Q V A M

DEO AVSPICE

SUB PRAESIDIO

IOACHIMI HILDEBRANDI

S. THEOL. D. EIVSDEMQUE

ORDIN. PROF.

IN INCLVTA IVLIA



*Examini publico proponit*

A N D R E A S *Winter*

SEESSENSIS.

In Auditorio Majori

D. Iunij.

 (o) 

HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI,

C M D C L V I I .